De ridiculi doctrina rhetorica

scripsit

Ernestus Arndt.

Kirchhaini Lusatorum.
Typis descripsit Max Schmersow (Zahn et Baendel).
MCMIV.

De ridiculi doctrina rhetorica.

Dissertatio philologa

quam

ad summos in philosophia honores

rite impetrandos

amplissimo in universitate Fridericia Guilelmia

Rhenana philosophorum ordini

traditam una cum sententiis controversis

die IX mensis Martii anni MCMIV hora XII

publice defendet

Johannus Ernestus Mauritus Arndt

Duisburgensis.

Adversarii erunt:

Carolus Enders, Dr. phil.

Fridericus Luckhard, cand. phil.

Fridericus Stein, cand. phil.

Kirchhainii Lusatorum.

Typis descripsit Max Schmersow (Zahn et Baendel).

MCMIV.

PHILOLOGORVM-BONNENSIVM-SODALITATI

D. D.

In doctrina veterum rhetorica cum quaererem tractandam materiam, quam modestae dissertationis finibus comprehendere possem, monuit me Radermacherus vir huius rei peritissimus, ut Quintilianeae institutionis aliquod caput explicare et fontes eius aperire conarer. Quintilianus enim operi suo non paucas intexuit res, quae olim propriis libris tractabantur. Sic etiam de risu fuerunt qui proprios libros componerent; qui quamquam interierunt, tamen quid continuerint ex parte quidem quaerendo et circumspiciendo colligere licet, quoniam et excerpta quaedam aetatem tulerunt et scriptores aetate inferiores libris illis usi sunt. De risu autem Quintilianus quoque egit libri sexti capite tertio; quod ut pertractarem Radermacherus me adhortatus est. Ac lubenter quam ostendebat viam ingressus sum; a Quintiliano igitur profectus ad superiorum scriptorum tempora progredi conatus sum; ac facili opera ad Ciceronem perveni eiusque doctrinam cum Quintilianea comparare potui. Inde a Cicerone autem ad Graecos fontes pergere oportebat; quos ex Aristotelicae doctrinae copia profluere brevi tempore intellexi.

Lectorem autem non eadem ducam via qua ipse processi; sed ab Aristotele profecti per aliquot stationes ad Quintilianum redibimus. Prima igitur parte quid Graeci de ridiculo docuerint ex ipsorum scriptis quantum fieri poterit colligere in animo est; qua in re primum quid Aristoteles iudicaverit e servatis libris rhetoricis poetico ethicis colligendum erit, deinde quid e commentationibus de comoedia con-

scriptis addiscere possimus, temptabimus, tum in Demetrii qui dicitur de elocutione libello non pauca reperiemus, quae Peripateticis tribuenda sunt. Altero capite Ciceronem tradere Romanis Graecorum inventa demonstrabimus. Tertio denique capite e quibus Quintilianus hauserit fontibus inquirendum erit.

I.

Graecorum de ridiculo doctrina colligitur.

1.

Aristoteles de ridiculo quid iudicaverit.

Primus quantum scimus egit de ridiculo (*περὶ γελοίου*) Aristoteles in arte poetica; nam de Gorgia, etsi ex Aristotelis verbis quae statim afferam concludas eum hanc rem tractasse, certi nihil constat. At Aristoteles ipse se egisse de generibus ridiculi testatur in tertio artis rhetoricae libro (c. 18, p. 1419b 3): *περὶ δὲ τῶν γελοίων, ἐπειδή τινα δοκεῖ χρῆσιν ἔχειν ἐν τοῖς ἀγῶσι, καὶ δεῖν ἔφη Γοργίας τὴν μὲν σπουδὴν διαφθείρειν τῶν ἐναντίων γέλωτι, τὸν δὲ γέλωτα σπουδῇ, ὀρθῶς λέγων, εἴρηται πόσα εἴδη γελοίων ἐστὶν ἐν τοῖς περὶ ποιητικῆς κτλ.*

Idem testatur in primi libri capite 11 (p. 1371b 34): *ὁμοίως δὲ καὶ ἐπεὶ ἡ παιδιὰ τῶν ἡδέων καὶ πᾶσα ἄνεσις [καὶ ὁ γέλως τῶν ἡδέων], ἀνάγκη καὶ τὰ γελοῖα ἡδέα εἶναι, καὶ ἀνθρώπους καὶ λόγους καὶ ἔργα· διώρισται δὲ περὶ γελοίων χωρὶς ἐν τοῖς περὶ ποιητικῆς.*

In arte poetica igitur uberius egit Aristoteles de generibus ridiculi; at in eo libro qui ad nostram aetatem pervenit de iis nihil invenitur. Haec pauca verba notione sane dignissima hodie exstant (c. 5, p. 1449a 30): *ἡ δὲ κωμῳδία ἐστὶν ὥσπερ εἴπομεν μίμησις φαυλοτέρων μέν, οὐ μέντοι κατὰ πᾶσαν κακίαν· ἀλλὰ τοῦ αἰσχροῦ ἐστι τὸ γελοῖον μόριον· τὸ γὰρ γελοῖόν ἐστιν ἁμάρτημά τι καὶ αἶσχος*[1] *ἀνώδυνον καὶ οὐ φθαρτικόν, οἷον εὐθὺς τὸ γελοῖον πρόσωπον αἰσχρόν τι καὶ διεστραμμένον ἄνευ ὀδύνης.*

[1]) cf. Plato de republ. V 4 p. 452 E.

Periit igitur iniquitate temporum ea pars artis poeticae, qua tractabantur genera ridiculi, id est liber alter, qui erat de comoedia, ac nostrum est investigare, quid scriptum fuerit in illa disputatione.

Nam quamquam festinantius ex Aristotelis verbis quae attuli (p. 1371 b 34 sqq.) Bernaysius[1]) conclusit Aristotelem usum esse ea divisione generum ridiculi quam Cicero et Quintilianus adhibent[2]), quamquam omnino de ridiculi locis (*περὶ τῶν τοῦ γελοίου τόπων*) eum egisse in arte poetica certis argumentis probari nequit[3]), tamen verisimile id esse nemo negabit, et quoniam habemus tractatum Coislinianum, qui continet catalogum locorum ridiculi, sane dignum est quod quaeratur, num ille catalogus Aristotelis esse possit. Sed priusquam de illo agamus, e genuinis Aristotelis libris quid discere possimus de risu temptemus. Non enim tota eius doctrina interiit, sed fundamenta quaedam earum disputationum, quas posteriores inscripsere *περὶ γελοίου*, in servatis scriptis hodie reperiuntur. De 'urbanitate' enim egit Aristoteles in tertii artis rhetoricae libri capitibus 10 et 11. Initio statim promittit se enumeraturum esse sedes urbani sermonis (p. 1410 b 6): *ἐπεὶ δὲ διώρισται περὶ τούτων, πόθεν λέγεται τὰ ἀστεῖα καὶ τὰ εὐδοκιμοῦντα λεκτέον — εἴπωμεν οὖν καὶ διαριθμησώμεθα*; ac quamquam non de industria risum tractat, ridicula neglegi non possunt in tali re.

Non praecepta tradit philosophus, sed observata (p. 1410 b 7): *ποιεῖν μὲν οὖν ἐστιν τοῦ εὐφυοῦς ἢ τοῦ γεγυμνασμένου, δεῖξαι δὲ τῆς μεθόδου ταύτης*. Atque ab argutissima simulque verissima observatione initium capit (1410 b 9): *ἀρχὴ δ' ἔστω*

[1]) Zwei Abhandlungen über die Aristotelische Theorie des Drama. Berlin 1880, p. 135 sqq. Repetita est disputatio ex Musei Rhenani vol. VIII p. 561—596.

[2]) cf. Bernaysius l. c. p. 168. At *λέξις* et *πράγματα* non eadem sunt atque *λόγοι* et *ἔργα*; praeterea divisio illa (*ἄνθρωποι-λόγοι-ἔργα*) non ad artem poeticam referenda, sed in ipsa materia quae tractatur posita est. cf. p. 1371 a 29, 1371 b 23.

[3]) Longe alia genera commemorantur altero loco artis rhetoricae (p. 1419 b 6 sqq.): *εἰρωνείαν* et *βωμολοχίαν* re vera tractavit Aristoteles in arte poetica.

ἡμῖν αὕτη· τὸ γὰρ μανθάνειν ῥᾳδίως ἡδὺ φύσει πᾶσιν ἐστί. Demonstratur deinde facillimam cognitionem rerum fieri usu metaphorae (1410 b 13), praeterea adhibendam esse *ἀντίθεσιν* (1410 b 29), sententiam autem neque nimis vulgarem neque obscuram esse debere; haec tria igitur appetenda esse: *μεταφορὰν ἀντίθεσιν ἐνέργειαν* (1410 b 35). Proxima parte de generibus metaphorae uberius disserit Aristoteles, ac primum de ea, quae fit *κατ᾽ ἀναλογίαν*, et de *ἐνεργείᾳ* vel de subiciendo oculis (*πρὸ ὀμμάτων ποιεῖν*). Quae omnia ad ipsum risum parum pertinent, ac quamquam ne ea quidem nihil valere in nostra materia videbimus, tamen quae secuntur in ridiculis locum habere facilius intellegetur. Nam inde a p. 1412 a 18 id genus facetiarum tractat philosophus, cui omnes fere loci ridiculi subiungi possunt, *τὸ προσεξαπατᾶν* (decipere opinionem audientium); metaphoram enim eam potissimum ob causam urbanam esse dicit, quod simul opinionem decipiat:

ἔστιν δὲ καὶ τὰ ἀστεῖα τὰ πλεῖστα διὰ μεταφορᾶς καὶ ἐκ τοῦ προσεξαπατᾶν. μᾶλλον γὰρ γίγνεται δῆλον ὅτι ἔμαθε παρὰ τὸ ἐναντίως ἔχειν, καὶ ἔοικεν λέγειν ἡ ψυχὴ 'ὡς ἀληθῶς, ἐγὼ δὲ ἥμαρτον'.

Enumerantur autem hae species, quas cum infra tractaturi simus colligere satis habeo:

1) 1412 a 21 *καὶ τῶν ἀποφθεγμάτων δὲ τὰ ἀστεῖά ἐστιν ἐκ τοῦ μὴ ὅ φησι λέγειν.*

2) 1412 a 23 *καὶ τὰ εὖ ᾐνιγμένα διὰ τὸ αὐτὸ ἡδέα.*

3) 1412 a 25 *καὶ ὃ λέγει Θεόδωρος, τὸ καινὰ λέγειν. γίγνεται δὲ ὅταν παράδοξον ᾖ, καὶ μή, ὡς ἐκεῖνος λέγει, πρὸς τὴν ἔμπροσθεν δόξαν, ἀλλ᾽ ὥσπερ οἱ ἐν τοῖς γελοίοις τὰ παραπεποιημένα, ὅπερ δύναται*

4) *καὶ τὰ παρὰ γράμμα σκώμματα· ἐξαπατᾷ γάρ*[1].

5) 1412 a 29 *καὶ ἐν τοῖς μέτροις· οὐ γὰρ ὥσπερ ὁ ἀκούων ὑπέλαβεν κτλ.*

6) 1412 b 4 *οὕτω δὲ καὶ τὰ*[2]) *ἀστεῖα, οἷον τὸ φάναι*

[1]) cf. infra l. 33.

[2]) Hayduckius, cum insereret *δι᾽ ὁμωνυμίαν λεγόμενα*, sententiam recte supplevit; quae verba tamen non inseram: cf. infra l. 11.

Ἀθηναίοις τὴν τῆς θαλάττης ἀρχὴν μὴ ἀρχὴν εἶναι τῶν κακῶν· ὄνασθαι γάρ κτλ.

Expressis verbis in iis quae exscripsimus adsciscuntur ridicula, atque apertum est Aristotelem, ubi disserebat de ridiculo, omnia ea quae hic collegimus, tractare debuisse, praecipue autem *τὰ παραπεποιημένα*, id est *τὸ παράδοξον, τὸ παράγραμμα, τὴν παρῳδίαν*[1]. Neque enim satis mirari possum a Bernaysio, cum demonstraturus esset quid Aristoteles de ridiculo docuisset, haec artis rhetoricae capita prorsus neglecta esse.

Addendum est metaphorae subiungi ab Aristotele

similitudinem (p. 1410 b 16 et 1412 b 33),
proverbium (p. 1413 a 15),
hyperbolen (p. 1413 a 19); quae genera prioribus adiungenda sunt.

Alio praeterea loco Aristoteles disserit de quibusdam rebus, quae aliquo modo ad nostram materiam pertinent. Capite tertio enim libri tertii ea tractat, quae ut frigida in oratione pedestri vitanda sint; frigida enim eam ob causam vocantur, quod sermoni pedestri minus conveniunt quam poesi. Sed idem quod vitiosum est in severa oratione, si ridicule adhibetur, facile risum movet; itaque eaedem res, quae vitandae sunt in sermone severo, virtutes fiunt in sermone iocoso. Quam sententiam ipsius Aristotelis verbis confirmare licet (p. 1406 a 32): *διὸ ποιητικῶς λέγοντες τῇ ἀπρεπείᾳ τὸ γελοῖον καὶ τὸ ψυχρὸν ἐμποιοῦσι, καὶ τὸ ἀσαφὲς διὰ τὴν ἀδολεσχίαν*[2]. Tractantur autem hoc capite quattuor genera:

διπλᾶ ὀνόματα (p. 1405 b 35),
γλῶτται (p. 1406 a 7),
ἐπίθετα μακρὰ ἢ ἄκαιρα ἢ πυκνά (p. 1406 a 10),
μεταφοραί (p. 1406 b 5).

Reperimus etiam in hoc contextu metaphoram, non quidem omnem, sed *τὴν ἀπρεπῆ μεταφοράν*, atque aperte dicitur eam esse ridiculam non modo, sed etiam habere

[1] Sic licebit significare *τὰ παραπεποιημένα μέτρα*.
[2] cf. p. 1408 a 11 sqq.

locum in comoediis (1406 b 5): *καὶ ἔτι τέταρτον τὸ ψυχρὸν ἐν ταῖς μεταφοραῖς γίνεται· εἰσὶν γὰρ αἱ μεταφοραὶ ἀπρεπεῖς αἱ μὲν διὰ τὸ γελοῖον (χρῶνται γὰρ καὶ οἱ κωμῳδοποιοὶ μεταφοραῖς) αἱ δὲ κτλ.* Metaphora ergo, si modo sedes ridiculi tractabat Aristoteles, non deesse poterat in illa parte artis poeticae.

Simili autem modo omnes fere virtutes severae vel poeticae dictionis sedes ridiculi fieri possunt, velut in arte poetica quasdam res ridicule adhiberi posse affirmat Aristoteles, quas in tractatu Coisliniano reperiemus (p. 1458 b 11): *τὸ μὲν οὖν φαίνεσθαι ἀπρεπῶς χρώμενον τούτῳ τῷ τρόπῳ γελοῖον· τὸ δὲ μέτρον κοινὸν ἁπάντων ἐστὶ τῶν μερῶν. καὶ γὰρ μεταφοραῖς καὶ γλώτταις καὶ τοῖς ἄλλοις εἴδεσι χρώμενος ἀπρεπῶς καὶ ἐπίτηδες ἐπὶ τὰ γελοῖα τὸ αὐτὸ ἂν ἀπεργάσαιτο.* Quae praecipue dicta sunt de generibus antea commemoratis (1458 b 2 *αἱ ἐπεκτάσεις καὶ ἀποκοπαὶ καὶ ἐξαλλαγαὶ τῶν ὀνομάτων*), sed pertinent etiam ad cetera.

Restat, ut de iis generibus iocandi, quae in ipsis moribus et ingeniis hominum posita sunt, quid iudicaverit Aristoteles ostendam; nam etiam hac in re eius iudicium non paulum valuisse apud posteriores videbimus. Personae comicae facile in tria genera dividuntur, quae recte enumerantur in tractatu quem dicunt Coisliniano (§ 7, in Kaibelii fragmentis com. Gr. vol. I 1 p. 52): *ἤθη κωμῳδίας τά τε βωμολόχα καὶ τὰ εἰρωνικὰ καὶ τὰ τῶν ἀλαζόνον*[1]. Apud Aristotelem eadem genera coniuncta legimus in ethicorum Nicomacheorum libro secundo p. 1108 a 21[2]. Fusius de his rebus agitur in ethic. Nic. libri quarti capitibus 13 et 14. Priore capite inter se opponuntur *ὁ ἀλαζὼν* et *ὁ εἴρων*, inter quos medium tenet locum *ὁ ἀληθευτικός*, altero *ὁ βωμολόχος* et *ὁ ἀγροῖκος*, inter quos medius est *ὁ εὐτράπελος*. Homini glorioso, qui prorsus damnatur, praefertur *ὁ εἴρων* (p. 1127 b 29): *οἱ δὲ μετρίως χρώμενοι τῇ εἰρωνείᾳ καὶ περὶ τὰ μὴ λίαν ἐμποδὼν καὶ φανερὰ*

[1] cf. Bernaysius l. c. p. 158 sqq.
[2] Verba adnotat Kaibelius l. c.

εἰρωνευόμενοι[1]) χαρίεντες φαίνονται[2]). Ceterum oratorem non decere secundum Aristotelis doctrinam ἀλαζόνα esse[3]) vel ex ea re concludas, quod in artis rhetoricae illo loco, quem initio dissertationis attuli (p. 1419 b 3 sqq.) ἀλαζονεία omittitur. Ibi igitur commemorantur εἰρωνεία et βωμολοχία, quarum utraque vitium est; nam εὐτραπελίαν adpetendam esse perspicuum est. Tamen ironia propius accedit ad εὐτραπελίαν et paene locum eius tenet, βωμολοχία condemnatur. De scurris autem quid iudicaverit philosophus scire maxime nostra interest: itaque unum locum exscribam, ceteros adnotabo: οἱ μὲν οὖν τῷ γελοίῳ ὑπερβάλλοντες βωμολόχοι δοκοῦσιν εἶναι καὶ φορτικοί, γλιχόμενοι πάντως τοῦ γελοίου, καὶ μᾶλλον στοχαζόμενοι τοῦ γέλωτα ποιῆσαι ἢ τοῦ λέγειν εὐσχήμονα καὶ μὴ λυπεῖν τὸν σκωπτόμενον; cf. praeterea p. 1128 a 12 sqq., 34 sqq.

De usu autem vel de effectu τοῦ σκώμματος etiam in altero artis rhetoricae libro (cap 2 p. 1379 a 29 sqq.) dispersa quaedam leguntur, quae infra adsciscemus.

2.

De tractatu Coisliniano.

In commentariis veterum de historia et de generibus comoediae Graecae conscriptis duo servati sunt catalogi locorum ridiculi, quorum alter exstat in tractatu quem dicunt Coisliniano (§ 3)[4]), alterum nuper Tzetzae tribuit Kaibelius[5]): utrumque ex eodem fonte fluxisse certum est. De tractatu Coisliniano fusius egit Iacobus Bernays in ea disputatione quam supra iam commemoravi (Ergänzung zu Aristoteles' Poetik). Artis poeticae Aristotelicae lacunam supplere voluisse Bernaysium vel titulus disputationis indicat, ac re vera cum maiorem partem tractatus Coisliniani tum catalogum ex

[1]) Velim memor sis artis rhet. p. 1410 b 22.

[2]) cf. praeterea p. 1127 b 14.

[3]) cf. Cicero de orat. II 251.

[4]) In Kaibelii editione fragmentorum com. Gr. vol. I 1 p. 50 - 53

[5]) Legitur in commentario quem significat Pa p. 18/19.

illo libro profluxisse demonstrare studuit. Cuius viri sententiam argumentaque nemo quantum scio refutavit, omnes probaverunt; nam inter fragmenta artis poeticae recipitur tractatus in editionibus. Ne Kaibelius quidem, qui nuper accuratius totam rem tractavit[1]), apertis verbis Bernaysio obsistit; immo ipse quoque semina huius doctrinae ab Aristotele petita esse censet. At non ex ipsius Aristotelis libro haec derivata esse arbitratur, sed ex historia quadam poeseos scaenicae, ex qua omnia ea quae e scholiis Dionysianis, e Tzetzae commentationibus, e grammaticorum de poematibus collegit tractatibus fluxisse putat[2]). Me quidem diu dubitasse confiteor, num ad Aristotelem ille catalogus referendus esset. Dubitavi, quod Bernaysii argumenta mihi sufficere non videbantur: sed cum accuratius Aristotelis genuinam doctrinam comparavissem totiusque doctrinae vestigia usque ad Quintilianum persecutus essem, intellexi re vera etiam in catalogo illo doctrinam Aristotelicam subesse. Minime autem contenderim eum, qui excerpsit et composuit tractatus Coisliniani partes, Aristotelici libri exemplar ad manum habuisse. Cum Kaibelio mihi pugna non erit; equidem examinabo eam partem tractatus, quae continet ridiculi locos, ac si Aristotelica esse videbitur, iudicabimus ex Aristotele eam in historiam illam poeseos quam statuit Kaibelius pervenisse. De ceteris tractatus partibus post Kaibelium iudicium proferre non meum est; hoc constat doctrinae quae ibi profertur alia esse excerpta ex Aristotele, alia ficta ad similitudinem doctrinae Aristotelicae. Catalogum quam brevissime percensebimus ea tantum proferentes quae Bernaysius omisit aut minus recte exposuisse nobis videtur. Praemonendum est hunc catalogum continere genera ridiculorum, quae scaenae usui sunt, non eorum, quibus orator utitur.

[1]) Die Prolegomena *περὶ κωμῳδίας*, in commentationibus societatis Gotting. 1897 vol. II 4, p. 53 sqq.

[2]) Quo de fonte sic iudicat (l. c. p. 53): 'Das charakteristische Kennzeichen dieser gemeinsamen Quelle ist, dass sie auf Aristoteles' Poetik fussend die Lehre des Meisters bald zu erweitern, bald zu variieren oder zu korrigieren bemüht ist.'

Tota igitur materia dividitur in duas partes, ut fieri solebat. Eandem divisionem Bernaysius subesse putabat apud Aristotelem p. 1372 a 1; quod non rectum esse supra diximus[1]; at est ea divisio, qua ceteri omnes usi sunt.

Rectissime homonymia enumeratur inter ridiculi locos, cum species sit ambigui[2]; ambiguum enim inter locos ridiculi esse vix dicere opus est; moneo tamen a Cicerone id afferri de orat. II 253, a Quintiliano VI 3,47. Bernaysius autem (l. c. p. 171) non modo ad exempla homonymiae quae adferuntur ab Aristotele in arte rhetorica (III 11. p. 1412 b 4 sqq.)[3] lectoris animum convertere debebat, sed ea ipsa res, quod urbanitatis genus est, ei in ridiculis sedem dat.

Minus apte quam homonymia synonymia inter genera ridicula recepta esse videtur, quae re vera neque in eo capite artis rhetoricae, in quo inter facetiarum genera homonymiam enumerari vidimus, neque in ceteris catalogis tractatur; tamen etiam eo modo iocus nasci potest, ut alterum vocabulum pro altero paene idem significante ponatur (cf. Bernays p. 172).

Ἀδολεσχία ab Aristotele etiam in eo capite artis rhetoricae commemoratur, quod est de elocutione frigida (III 3); *ἀδολέσχης* ibi is vocatur, qui multis et supervacuis utitur epithetis. Multa exempla afferuntur simulque apparet *ἀδολεσχίαν* ab Aristotele inter eas res habitam esse, e quibus interdum risus nasceretur (cf. quae supra diximus p. 6).

Quaeritur deinde, quid sit *παρωνυμία*; atque eo quidem sensu, quo vocabulis *παρώνυμος* et *παρωνυμιάζειν* utitur Aristoteles, ut sint 'derivatus' et 'derivare alterum vocabulum ab altero'[4]) — nam substantivum *παρωνυμία* in libris Aristotelis servatis non legitur — in catalogo adhiberi vix potest; sed libenter concedemus etiam diverso sensu id adhibitum esse posse vel ab Aristotele[5]). Me iudice omnino non du-

[1]) cf. p. 4.

[2]) cf. Quintil. VII 9, 2: singula adferunt errorem, cum pluribus rebus aut hominibus eadem appellatio est (homonymia dicitur) eqs.

[3]) Exemplum optimum affertur in artis rhet. l. 2. p. 1401 a 12 sqq.

[4]) cf. categ. p. 1 a 11; 10 a 28 29; 10 b 1. 6; 6 b 13.

[5]) Etiam synonymia duos sensus habet in libris Aristotelicis.

bium est, quin voce *παρωνυμία* idem significetur quod Aristoteles in eo capite quod tractavimus (rhet. III 11) appellat *παρὰ γράμμα σκῶμμα*, quod cognatum est cum ea figura quam rhetores aut *παρονομασίαν* aut *παρωνυμίαν*[1]) vocaverunt[2]). Paronomasiam autem fuisse inter locos ridiculi, si testimonio opus est, testantur Cicero (de orat. II 256) et Quintilianus, qui in ipsa quidem de risu disputatione hoc vocabulo non utitur, sed aperte rem spectat § 53; fusius de illa figura agit IX 3, 66 sqq.

Hypocorismus, qui explicatur ab ipso Aristotele (rhet. III 2, p, 1405 b 28), a Cicerone et Quintiliano non commemoratur; nimirum Romanis non ignotum erat hoc genus iocandi, ut in illa interrogatione 'Quid fers, Cinciole', cui respondetur 'Ut emas, Cai, si uti velis' (Cicero de orat II 286) forma deminutiva risum movere voluit is qui interrogabat.

Sextum genus in tractatu Coisliniano vocatur *κατὰ ἐξαλλαγήν*, in Pa *κατὰ ἐναλλαγήν*[3]). Unum vel alterum praeferendum est, ac dubium vix est, quin verum servatum sit in Coisliniano tractatu. Quod certum esse contendo, quia non voce *ἐναλλαγή*[4]) Aristoteles utitur, sed *ἐξαλλαγή*. Quaeritur autem, utrum exallagen sensu proprio accipiamus (poet. p. 1458 a 6), ita ut quasi species sit paronymiae[5]), an latius eam patere putemus; nam vocabulo *ἐξηλλαγμένον* Aristoteles id significat, quod posteriores dixere tropum[6]). Utrumque

[1]) *παρωνυμία* pro *παρονομασία* apud unum Aquilam Romanum invenio (p. 30, 32 Halm), ubi emendant: *παρονομασία*. Vice versa *παρονομασία* pro Aristotelica *παρωνυμία* est apud Tryphonem Sp. III p. 196. Cicero vocabulis *παράγραμμα* et *παρονομασία* idem significat; cf. epp. ad fam. VII 32, 2 et de orat. II 256.

[2]) Sic Kaibelius quoque indicare videtur, cf. adnotationem p. 19 collectionis fragmentorum.

[3]) cf. Bernays l. c. p. 175 sqq; cuius disputationem non novisse videtur Volkmannus (Rhetorik² p. 288).

[4]) Neque vero verbum *ἐναλλάττειν* Aristoteles ita adhibet, ut habeat proprium quendam sensum rhetoricum vel grammaticum.

[5]) *ἐπέκτασις* et *ἀποκοπή*, quae sunt species paronymiae in tractatu Coisliniano, coniunguntur cum exallage poet. p. 1458 b 2 (cf. 1457 b 2).

[6]) cf. poet. p. 1458 a 21, rhet. 1404 b 8; species verborum, quae sunt *παρὰ τὸ κύριον*, enumerantur p. 1457 b 1; praeterea conferas velim

sensum[1]) indicari existimat Bernaysius illa divisione tractatus Coisliniani: φωνῇ — τοῖς ὁμογενέσι, recte ut opinor. Quod si accipimus, habemus in catalogo et ea quae tractantur ab Aristotele capite 3 libri 3 artis rhetoricae[2]) et ea quae tractantur capitibus 21 et 22 artis poeticae[3]), quae ad nostram materiam pertinere supra vidimus, habemus in primis ridiculam metaphoram, quam aegre desideraremus, nisi adesset.

De vi vocis σχῆμα λέξεως non plane consentio cum Bernaysio[4]). Nam quamquam scio verborum formas grammaticas ab Aristotele vocari σχήματα λέξεως, tamen etiam diverso sensu idem vocabulum adhibetur, qui propius accedit ad recentiorem eius vim: ἀντίθεσις proprie dicitur σχῆμα λέξεως rhet. III 10 p. 1410 b 29 (cf. rhet. II 24 p. 1401 a 1—7). E grammaticis autem formis verborum[5]) nusquam risus ducitur in disputationibus de ridiculo institutis; at ἀντίθεσις etiam a Cicerone commemoratur in ipso fine generum in verbis positorum. Itaque hunc sensum melius quadrare puto neque dubito, quin re vera in catalogo σχῆμα λέξεως sit ἀντίθεσις vel similes figurae.

In priore parte catalogi tractanda de indole eius disserere non opus erat; nam ex iisdem verborum generibus poeta comicus et orator risum ducunt. In rebus ridiculis, praecipue autem in gestibus et factis histrio et orator valde inter se differunt; nam oratorem minime decet, quod mimo permittitur. Sed non solum facta et habitus corporis differunt, sed etiam argumenta quaedam ridicula scaenae conveniunt, quibus orator aut omnino uti non potest aut diverso modo utitur. Meminisse igitur oportet apud Aristotelem in arte rhetorica ea tantum ridicula tractari, quae oratori usui sunt. Ciceronis et Quintiliani tractatus quos infra spectabimus in

Demetrium de eloc., qui inde a § 77 genera λέξεως ἐξηλλαγμένης tractat, in quibus tropi rhetorum facile agnoscuntur.

[1]) At tropos hos esse non perspexit Bernaysius.

[2]) cf. supra p. 6.

[3]) cf. supra p. 7.

[4]) l. c. p. 175/76.

[5]) Ambiguitas sane frigidissima ex his nasci potest.

usum oratoris esse compositos, contra tractatum Coislinianum de comoedia scriptum esse. Minime igitur mirum est, quamquam doctrina eadem est, in catalogo Coisliniano alia inesse quam in disputationibus rhetoricis. Tamen ne in his quidem rebus desunt similitudines; immo oratorum genera in rebus posita ex his comoediae generibus orta esse putandum est. Nam haec *πράγματα* neque *ἔργα* sunt neque rhetorum *πράγματα*, sed utrumque complectuntur; in scaena enim non modo gestus, sed etiam facta cum verbis coniungi solent, at orator etiam in iocis e rebus ductis semper fere solis verbis utitur.

Novem igitur genera *τῶν πραγμάτων* enumerantur in tractatu Coisliniano, duo priora tantum atque ea quidem ordine inverso in Tzetzae excerpto, cuius auctor plura ne novisse quidem videtur, cum sic incipiat: *ἐκ δὲ τῶν πραγμάτων κατὰ τρόπους δύο*. Quam rem non melius explicaverunt viri docti quam ita ut dicerent excerptorem ignavum cetera omisisse[1]. Ego facilius rem explicare posse mihi visus sum; sed quae primo certa esse putavi, nunc dubitanter profero. Cum enim apud Ciceronem (de orat. II 240—43) duo genera in re posita a ceteris segregari viderem[2]), quae excerptorum generibus similia sunt, casu hanc congruentiam factam esse negavi. Generum Ciceronianorum prius (fabella vel narratio ficta) mihi cognatum visum est *ἀπάτῃ* illi catalogi; nam quamquam non ignoro haec verba diversa esse, tamen etiam fabella genus quoddam fallaciae est, ac quoniam factis orator audientes decipere non potest, fabellam appellavi *ἀπάτην* oratoriam. Similiter alterum genus Ciceronianum ('imitationem depravatam' dico) ortum esse putavi ex homoeosi catalogi, quod rectum esse nunc quoque persuasum habeo. Itaque statuendum esse putavi iam in excerptorum communi fonte ut apud Ciceronem genera brevis spatii separata fuisse ab iis quae latius paterent: qua re factum esse, ut in Tzetzae excerptis priora tantum genera servarentur, in tractatu Coisliniano omnia quidem ser-

[1]) Bernaysius l. c. p. 180, Kaibelius, die Prolegg. II. K. p. 56.

[2]) § 243: 'ergo haec duo genera sunt eius ridiculi, quod in re positum est, quae sunt propria perpetuarum facetiarum' eqs. cf. quae infra de Ciceronis partitione dicemus.

varentur sed, quoniam omnia in re erant, sub unum conspectum redigerentur. Haec si cui minus probabiliter exposita esse videntur, refugiat ad ignaviam excerptoris.

Ceterum de vi ac notione singulorum generum accuratius agere non opus est, neque dubium esse puto, qua ratione oratorum genera ex his comoediae generibus orta sint. Ad *ἀπάτην* referri potest et narratio ficta et simulatio, ad *ὁμοίωσιν* et imitatio depravata et similitudines, *ἐκ τοῦ ἀδυνάτου* ducitur hyperbole, ad *ἀνακολουθίαν* fortasse redeunt 'subabsurda' Romanorum, *ἐκ τοῦ παρὰ προσδοκίαν* (praeter exspectationem) plerique ioci trahuntur. Quintum genus ab Aristotele etiam in rhetoricis afferri vidimus.

Cetera autem genera cum scaenae propria sint, ad artem rhetoricam vix pertinent; quae ubi tractabantur comoediae subsidia omitti non poterant, a nobis, quoniam de risu oratorio agimus, neglegi possunt.

Hunc igitur catalogum, quem ex Aristotelis dicendi usu explicare conati sumus, ceteris reliquiis doctrinae Aristotelicae addimus. De indole autem illius *περὶ γελοίου* disputationis, quae arti poeticae inserta erat, certum indicium proferre vix licet; paucis tamen verbis comprehendamus, quae coniectura colligi possunt. In naturam risus ne Aristoteles quidem accuratius inquisivisse videtur. Materiam ridiculi esse vitium quoddam et turpitudinem discimus ex artis poeticae capite 5; quod utrum fusius expositum argumentisque confirmatum fuerit necne, nescimus. Certum autem est Aristotelem egisse de usu ridiculi et de iocandi generibus, quorum *εἰρωνεία* ei magis placebat quam *βωμολοχία*. Praeter homines ridiculos [1]) etiam facta et dicta ridicula tractasse videtur, non tamen ita, ut facta a dictis separaret, sed ut ea, quae in solis verbis posita sunt, vocaret *ἀπὸ τῆς λέξεως*, ea quae e sententia gestu facto ridiculis nascuntur, *ἀπὸ τῶν πραγμάτων*; nam in sedibus quidem ridiculi, etiamsi in ceteris latius circum-

[1]) cf. rhet. 1372 a 1 *ἀνθρώπους καὶ λόγους καὶ ἔργα.*

spexit, solius comoediae rationem habuisse videtur; singula genera etiam ab Aristotele exemplis illustrata esse verisimile est[1].

Quae omnia retractata et aucta sunt ab Aristotelis discipulis.

3.

Demetrii de elocutione libellus quid contineat de ridiculo.

A Graecis proprios libros compositos esse de ridiculo testantur Cicero (de orat. II 217) et Quintilianus (VI 3,11). Nos scimus e Diogenis Laertii catalogo librorum Theophrasti (V, 48) et ex Athenaeo (VIII p. 348) a Theophrasto librum de ridiculo scriptum esse; sed non modo inter Theophrasti, sed etiam inter Demetrii Phalerei scripta enumeratur liber *περὶ γελοίου* inscriptus. Libri ipsi non servati sunt[2]; tamen quid continuerint aliquatenus conicere licet. Nam primum Aristotelis vestigia pressisse Theophrastum constat, Aristotelis doctrinam eum retractasse et auxisse probabile est. Cetera e posteriorum scriptorum libris colligere debemus, ut in Plutarchi quaestione convivali prima alterius libri, quam infra comparabimus, doctrina Peripatetica inesse videtur. Sed habemus librum doctrina Peripatetica repletum, qui iniuria Demetrio Phalereo datur, in quo non pauca eorum, quae Peripatetici veteres de ridiculo docuerunt, insunt. Ille enim scriptor inde a § 128, ubi de elocutionis genere florido ei agendum erat, aperte uberiorem quendam librum excerpit, qui erat *περὶ χάριτος*, id quod iamdudum viri docti viderunt[3]. Cum autem doctrinam Peripateticam proferat, vix dubium est, quin Theophrasti vel Demetrii Phalerei libro usus sit; quorum utrum sequatur sane diiudicari nequit; nam uterque scripsit non solum *περὶ γελοίου*, sed etiam *περὶ χάριτος*.

[1]) cf. metaphorae et similitudinis exempla in tertio artis rhetoricae libro (capp. 10/11).

[2]) Apud Athenaeum VIII p. 348 (frg. 130 W.) *παροιμίας* exemplum ex Theophrasti libro affertur.

[3]) cf. Radermacherus p. 94, praef. p. XIII. De totius libelli Demetriani compositione agere non meum est; haec autem de venusto disputatio cum ceteris partibus tam leviter conexa est, ut eam solam respicere ceteris neglectis liceat.

Quamquam risus non de industria tractatur a Demetrio, tamen ridiculi doctrinam facile reperiemus.

Non modo in eo ipso capite quod dixi insunt quae ad nostram materiam pertineant, sed etiam in iis quae antecedunt, ubi agitur de genere frigido, quod opponitur *τῷ μεγαλοπρεπεῖ χαρακτῆρι*. Vocabulum *ψυχρός* ipsum ab Aristotele ad personatum Demetrium pervenisse apertum est: traditum ei est per Theophrastum, cuius definitionem adfert § 114. Deinde sententiae frigidae exemplum profertur hyperbole quaedam, quae cum trahatur *ἐκ τοῦ ἀδυνάτου*[1]), ut ridiculi genus ex tractatu Coisliniano nobis nota est et etiam ab Aristotele *ἐν τοῖς ἀστείοις* affertur.

Sequitur excerptum ex Aristotelis illo capite (rhet. III 3) de quo supra egimus, foede id quidem mutilatum.

§ 120 refutantur ii qui necesse esse contendunt parvas res augere, ac repetitur ea sententia quam apud Aristotelem identidem invenimus: in iocis id permissum esse quod severam orationem non deceat.

Denique § 124 hyperbole accuratius tractatur, quam inter genera ridicula habendam esse et testes sunt veteres rhetores et ipsa res fert; praeterea scriptor ipse huius rei nos admonet (§ 126): *διὰ τοῦτο δὲ μάλιστα καὶ οἱ κωμῳδοποιοὶ χρῶνται αὐτῇ, ὅτι ἐκ τοῦ ἀδυνάτου ἐφέλκονται τὸ γελοῖον*. Simul autem frigida est hyperbole, quin etiam frigidissima, qua re iterum discimus *τὸ ψυχρὸν* et *τὸ γελοῖον* cognata esse[2]). Praeterea optime illustratur, quo cognationis vinculo *τὸ χαρίεν* et *τὸ γελοῖον* inter se cohaereant; nam etiam venustati, si recte adhibetur, potest servire hyperbole, id quod docet exemplum Sapphus (127). Videmus non modo risum duci *ἐκ τοῦ ἀδυνάτου*, sed etiam *χάριν*, atque facilis transitus est ad ipsas *χάριτας*.

A divisione materiae initium capit scriptor: *τῶν δὲ χαρίτων αἱ μέν εἰσιν μείζονες καὶ σεμνότεραι, αἱ τῶν ποιητῶν*.

[1]) cf. § 125/26.

[2]) Quam sententiam Aristotelicam esse ut haec omnia saepius diximus.

αἱ δὲ εὐτελεῖς μᾶλλον καὶ κωμικώτεραι, σκώμμασιν ἐοικυῖαι κτλ. Quam divisionem sapere doctrinam Peripateticam dicere non opus est, cum ipsius Aristotelis verba in mentem revocet, quibus discernit poesin in duas partes[1]). Observatur haec divisio per totam disputationem, sed ita ut ridiculum saepius neglegatur, paene nusquam solum tractetur; qua ex re iure concludas fontem huius exerpti non esse librum *περὶ γελοίου*, sed *περὶ χάριτος* scriptum. Librum de ridiculo compositum a nostro scriptore omnino non adhibitum esse puto; nam ut in disputationibus de risu compositis gratia severior in comparationem vocari solebat, sic in libro *περὶ χάριτος* conscripto ridiculum neglegi non poterat. Inter severum enim, quod est proprium tragoediae, et ridiculum, quod proprium est comoediae, venustum genus medium tenet locum ita ut utrumque non modo attingat, sed etiam utriusque particeps sit.

Sed inspiciamus ipsam disputationem, quae quomodo composita sit scire nostra interest; e singulis rebus ea tantum attingemus, quae proprie ad risum pertinent.

§§ 132/33 altera priori subiungitur divisio, ac primo obtutu cognoscere nobis videmur eam divisionem, quam in omnibus commentationibus de ridiculo conscriptis invenimus, nos primum in tractatu Coisliniano vidimus, *πράγματα* et *λέξιν*:

εἰσὶν δὲ αἱ μὲν ἐν τοῖς πράγμασι χάριτες —

τὰ δὲ καὶ ἡ λέξις ποιεῖ ἐπιχαριτώτερα, ac re vera scriptori illa quam novimus divisio iam hic ante oculos versatur. Sed longe alio sensu vocabulum *πρᾶγμα* hic usurpatur: ***οἷον νυμφαῖοι κῆποι, ὑμέναιοι, ἔρωτες, ὅλη ἡ Σαπφοῦς ποίησις. Πρᾶγμα*** ergo hoc loco nihil aliud est nisi *ὕλη*, qua voce rectius eandem rem scriptor significat § 163. Hoc loco de materia tantum agendum erat, quae comparatur cum elocutione, cuius vi non modo gratia materiae augetur, sed etiam invenustae res venustae redduntur (133—135).

[1]) Ars poet. 4, p. 1448 b 24: *διεσπάσθη δὲ κατὰ τὰ οἰκεῖα ἤθη ἡ ποίησις· οἱ μὲν γὰρ σεμνότεροι τὰς καλὰς ἐμιμοῦντο πράξεις καὶ τὰς τῶν τοιούτων, οἱ δὲ εὐτελέστεροι τὰς τῶν φαύλων.*

§ 136 scriptor transit ad enumerandos locos, quos statim in ea genera discernit, quae iam novimus: *ἦσαν δὲ ἡμῖν αἱ μὲν ἐν τῇ λέξει, αἱ δὲ ἐν τοῖς πράγμασιν*[1]). Deinde quamquam in ceteris characteribus describendis a rebus[2]) incipere solet, hic eum sequitur ordinem, quem vidimus in tractatu Coisliniano, infra reperiemus apud Ciceronem et Quintilianum.

Loci igitur colliguntur, e quibus trahitur venustas, eodem modo quo sedes ridiculi colliguntur, ac non solum eodem modo instituti erant libri de venestutate scripti, sed etiam loci paene iidem erant. Non tamen omnia genera pariter ad risum movendum apta sunt, ut statim in primis locis (*συντομία* 137, *τάξις* 139) ridiculum plane neglegitur. Ne in figuris quidem, quae tractantur §§ 140/41, ridiculum commemoratur: tamen non obliviscendum est hoc genus in tractatu Coisliniano esse inter locos ridiculi. Hic autem vis vocabuli *σχῆμα* iam proprium habet sensum rhetoricum, qui apud Aristotelem non erat constitutus, quem tamen secundum Aristotelis dicendi usum facile nancisci poterat.

In iis quae secuntur alium agnoscimus tractatus Coisliniani locum; nam ea genera quae enumerantur (*μεταφορά* 142, *ὄνομα σύνθετον καὶ διθυραμβικόν* 143, *ὄνομα ἰδιωτικόν, πεποιημένον* 144, *παρὰ τὴν θέσιν*[3]) 145) omnia species sunt exallages Aristotelicae[4]). Tropos posteriorum rhetorum hic enumerari, vocabulum ipsum non adhiberi recte monet Liersius[5]), qui ea ex re concludit huius scriptoris temporibus non usitatum fuisse vocabulum *τρόπος* ac re vera librum scriptum esse a Phalereo. Nos cautius fonti hoc attribuemus atque ea ipsa re confirmari putabimus nostram sententiam: fontem esse librum Theophrasti vel Demetrii Phalerei.

[1]) Quamquam in parte quae sequitur re vera communem adhibet divisionem, tamen eam indicasse sibi videtur iam § 132, ubi sensus diversus erat.

[2]) Moneo Demetrium promiscue ad eandem rem signifandam uti vocabulis *διάνοια* et *πρᾶγμα*, ut illo §§ 38, 115, 187, 236, hoc §§ 75, 190, 240, 302.

[3]) Significatur *κατάχρησις* quaedam.

[4]) cf. p. 11/12.

[5]) Zur Geschichte der Stilarten, Fleckeiseni ann. 1887, p. 688.

Tropos autem etiam in rem ridiculam quadrare pronuntiatur § 143: *ἃ μάλιστα δὴ κωμῳδικὰ παίγνιά ἐστι καὶ σατυρικά*[1]), ac similiter § 145 de abusionis exemplo dicitur: *ἐνταῦθα ἡ χάρις ἀπὸ τοῦ σκῶψαι τὸν ὄρνιν καθάπερ ἄνθρωπον*.

Prima pars locorum clauditur § 145; secuntur inde a § 146 ea genera, quae quamquam ut priora elocutioni subiunguntur, tamen non in solis verbis, sed in sententia magis versantur.

Παραβολῆς, quod est primum genus, exemplum alterum petitur a poetria Lesbica, alterum a Sophrone; nam secundum eam divisionem, quae in initio facta est, *χάρις σεμνοτέρα* apud illam invenitur, *παιδιὰ* apud hunc.

Similiter proximi (*μεταβολή* 148/49) generis exemplum alterum Sapphicum est, alterum magis ridiculum.

Sequitur *παρῳδία*, quamquam haec vox non adhibetur, atque exemplum petitum est ex Aristophane (Nub. 400), gratiae sollemnioris exemplum deest non sine causa; nam parodiam semper ridiculam esse apparet. Iam ab Aristotele (rhet. III 11, p. 1412a 29) hoc schema inter facetias habitum esse supra vidimus. Ut apud Aristotelem inter species deceptae opinionis erat[2]), ita etiam apud Demetrium cum hoc genere coniunctum remansit; nam aperte ad idem decipiendi genus pertinet *ἀλληγορία* (151), quam excipit *ἡ παρὰ προσδοκίαν χάρις* (152).

Allegoria ut ceterorum nonnulla genera in duas partes dividitur; nam priori exemplo, quod severiori poetae convenit, opponuntur duo exempla e Sophrone sumpta et ad ridiculum pertinentia: *καὶ μιμικώτερα τὰ τοιαῦτά ἐστι καὶ αἰσχρά*[3]).

Vocabulum *ἀλληγορία* ab Aristotele non usurpatur, qui tamen eius vim circumscribit eo loco quo in *ἀστείοις* illud genus tractat (p. 1412a 21), ubi allegoriam posteriorum scriptorum intellegi et verba ipsa demonstrant et exemplum allatum, quod allegoria est apud hunc Demetrium §§ 99 et 243.

[1]) Sic corrigendum cum Galeo pro *σατύρια*.

[2]) Quam ob rem non mirum est in tractatu Coisliniano deesse hoc genus et proximum, quae continentur genere ampliore (*παρὰ προσδοκίαν*).

[3]) Memineris velim Aristoteli *τὸ γελοῖον μόριον* esse *τοῦ αἰσχροῦ*.

Proximum genus, quod in tractatu Coisliniano est inter ridicula *ἀπὸ τῶν πραγμάτων* quodque ab Aristotele *παράδοξον* vocatur et inter facetiarum genera profertur (p. 1412a 25), rursus duobus illustratur exemplis, quorum prius ex Homero, alterum ex Aristophane originem trahit. Hoc altero exemplo duo simul genera illustrantur, praeter *παράδοξον* etiam *ἀνακολουθία*, quae *γρῖφος* vocatur. *Ἀνακολουθία* autem etiam in tractatu Coisliniano cum illo priore genere coniuncta invenitur, nisi quod ibi antecedit.

Proximum genus (*κῶλα ὅμοια* 154) venustum quidem est, sed rarius fortasse ridiculum; tamen ridiculum ipsum exemplum est, quo *ὁ βασιλεὺς ὁ μέγας* et *ὁ χειμὼν ὁ μέγας* inter se opponuntur. Melius me iudice cum figuris verborum hoc genus coniunxisset scriptor, et exemplum allatum suspicionem movet falsa tantum eius explicatione eum adductum esse, ut *κῶλα ὅμοια* hic tractaret; nam mihi venustas potius in eo videtur esse, quod dissimiles res ab Aristotele quasi similes sint conferuntur.

Praeterea ultimum genus (*κατηγορίαι ἀποκεκρυμμέναι* 155), quo videtur significari *ἐμφάσεως* species quaedam [1]), infeliciter dirimitur ab antecedentibus cum quibus cognatum est, ut coniungitur cum allegoria a Quintiliano VI 3,69.

Iam venimus ad eas *χάριτας*, quae in rebus positae sunt, ac non eae res tractantur, quae vocabantur *πράγματα* § 132, sed eae, quae secundum communem doctrinam orationi gratiam praebent [2]). Quod maxime efficiunt *μῦθος* et *παροιμία* [3]), quae cum illo coniungi solet utpote fabella brevior [4]), *μῦθος* autem in duas species dividitur, fabulam traditam (157) et fictam (158).

His adnectitur *φόβος ἀλλασσόμενος* (159), quod genus ad

[1]) cf. Quintil. IX 2,64.

[2]) Non *χάριν* dixerunt posteriores, sed *γλυκύτητα*. cf. Hermogenes Sp. II 357. Aristides Sp. II 499 (534).

[3]) Memineris velim *παροιμίαν* Athenaeo teste in Theophrasti *περὶ γελοίου* libro tractatam esse.

[4]) cf. Quintil. V 11,21.

ridicula potius pertinet quam ad severiorem venustatem: *ἅπερ καὶ αὐτὰ κωμῳδικώτερά ἐστιν*[1]).

Similitudines deinde secuntur § 160, quas ridicule adhiberi posse perspicuum est; ridicula etiam exempla sunt. Similitudinem iam ab Aristotele inter facetiarum genera allatam esse supra vidimus, atque equidem etiam cum homoeosi tractatus Coisliniani eam conferre auserim. Quamquam enim non ignoro ea genera inter se differre, tamen alterum homoeosin scaenicam, alterum homoeosin oratoriam appellaverim. Ac non modo apud Ciceronem ut in Tzetzae excerpto duo genera a ceteris segregantur[2]), sed etiam apud hunc Demetrium eandem fabulam eandemque similitudinem a ceteris secerni videmus; qua re augetur suspicio haec non casu congruere. Id tamen interest, quod apud Ciceronem etiam cetera genera, quae hic *κατὰ τὴν ἑρμηνείαν* vocantur, in rebus sunt.

Similitudini autem adiungitur hyperbole (161), quam iam ab Aristotele coniungi cum similitudine ita ut utraque sit species metaphorae diximus; ceterum repetuntur exempla ex §§ 125—127, ubi hyperbolen tractari supra vidimus.

Hucusque pertinet enumeratio locorum, ex quibus trahuntur *αἱ χάριτες*; atque omnes fere loci pariter severioris et levioris venustatis id est ridiculi sunt. Nobis igitur hic catalogus, quoniam integram de ridiculo disputationem in Graecis litteris non habemus, satis magnam lacunam explet. Ex omnibus enim ridiculi generibus ea tantum desunt, quae ut minus venusta in oratione venusta spernebantur, quae frigida appellantur etiam ab iis, qui ea tractant. Ambignum vel *ἀδολεσχίαν* vel *παρονομασίαν* hic minime desideramus, ne dicam de iis generibus tractatus Coisliniani, quae propria sunt actionis scaenicae.

Sed nondum totam disputationem *περὶ χάριτος* institutam pertractavimus; tum enim scriptor exponit, quid intersit inter venustum et ridiculum, quae in sedibus describendis non

[1]) Propius ad *ἀπάτην* tractatus Coisliniani id accedere videtur quam *μῦθος*.

[2]) cf. supra p. 13.

secernebantur. Quinque autem sunt quo differunt, primum materia (*τῇ ὕλῃ* 163). Venusti materia ea est, quae iam § 123 afferebatur: *νυμφαῖοι κῆποι, ἔρωτες*, ridiculi materia *Ἶρος καὶ Θερσίτης*. En habes eandem doctrinam, quam Aristoteles protulit quamque iam hic Ciceronis verbis comprehendere liceat (de orat. II 236): 'locus autem et regio quasi ridiculi turpitudine et deformitate quadam continetur.'

Deinde elocutione differunt, cum in venusto maiore diligentia exquiramus vocabula, in ridiculo vilioribus utamur; quae res Sapphus carminibus illustratur (164—167). Tum consilio et effectu differunt, cum hic delectatio, illic risus petatur et consequatur. Denique etiam sede differunt, non illis quidem locis, qui supra enumerabantur, sed poeseos generibus, in quibus adhibentur; nam in comoedia et satyro et venustum et ridiculum locum habent, in tragoedia venustum quidem non deest, sed ridiculum ab ea alienum est.

Etiam de usu ridiculi praeceptum servatum est; exponitur enim etiam severiores viros interdum iocum decere ut diebus festis vel in conviviis. Praeterea iocos inter se differre viri liberalis et illiberalis; hoc enim inest in §§ 171/72, ac profecto eadem est sententia, quam apud Aristotelem invenimus et apud Romanos reperiemus: non omnia ridicula esse faceta; itaque urbanos tantum iocos adhibendos, ceteros vitandos esse.

Quae secuntur deinde (*τὰ λεγόμενα καλὰ ὀνόματα* 173 sqq.) non minus quam cetera ad librum *περὶ χάριτος* scriptum redire videntur, ac scitu dignissimum est nomen Theophrasti hic iterum afferri; at cum ad ridicula haec vix pertineant, a nobis neglegi possunt.

Iam de indole librorum Peripateticorum, quibus usum esse Demetrium statuimus, disserendum nobis esset, si quid coniectura expediri posset. Sed num plus dici potest quam de materia usu sedibus venusti et ridiculi illos egisse, ac sedes in universum ita dispositas fuisse ut apud Demetrium sunt? Hoc unum addo: nisi traderent et *περὶ χάριτος* et *περὶ γελοίου* libros ab illis scriptos esse, equidemputarem

in eodem libro utramque materiam tractatam fuisse velut in Domitii Marsi de urbanitate libro[1]). Nunc utrosque libros similiter dispositos fuisse credendum est.

Sed iis quae de usu iocorum diximus adiungere liceat quae apud Plutarchum (quaest. conv. II 1) de *σκώμματος* usu praecipiuntur. Ibi enim exponitur inde a capite 4, quibus dictis uti possimus, cum laedere eum, in quem dicimus, nolimus, atque initio statim praecipitur: *σκώμματος δὲ τῷ μὴ δυναμένῳ μετ' εὐλαβείας καὶ τέχνης κατὰ καιρὸν ἅπτεσθαι παντάπασιν ἀφεκτέον*. *Σκῶμμα* deinde comparatur cum *λοιδορίᾳ*, atque exponitur illud saepe magis laedere quam hanc. Non modo haec comparatio statim Demetrii nos admonet, qui § 172 claudit his verbis: *εἰ δὲ μή, φευξόμεθα τὰ σκώμματα ὥσπερ λοιδορίας*, sed Theophrasti ipsius finitio *τοῦ σκώμματος* affertur[2]). Verisimile igitur est etiam quae hic de usu ioci praecipiuntur ad Peripateticos referenda esse[3]). Haec autem exponuntur: Facile ii irrisionem ferunt, qui re vera non tanguntur ludibrio (*οἱ μακρὰν ὄντες τῆς διαβολῆς*, cap. 5); similiter si facta honesta maledicto elevantur, ii qui petuntur gaudent potius quam dolent (cap. 6); venusta deinde etiam ea reprehensio est, qua re vera gratiae aguntur (*μέμψις ἐμφαίνουσα χάριν*, cap. 7); scire debet is qui illudere non laedere vult, quomodo inter se differant *νόσημα* et *ἐπιτήδευμα* (cap. 8); proinde sunt quaedam corporis vitia quae irrideri facile patimur, sunt quae non patimur (*διὸ δεῖ καὶ πρὸς τὰς φύσεις καὶ τὰ ἤθη σκοποῦντα ταῖς παιδιαῖς χρῆσθαι κτλ.*, cap. 9); praeterea et tempus respiciendum est et occasio (cap. 10/11); ac minus laedimus, si quod in alios dicimus etiam in nos ipsos cadit (cap. 12); paene gravissimum autem hoc est: dictum non domo allatum videri, sed eo ipso tempore quo pronuntiatur fingi debet (cap. 13: *οὐχ ἥκιστα δὲ δεῖ προσέχειν καὶ φυλάττειν, ὅπως ἐκ τοῦ παρατυχόντος ἔσται τὸ σκῶμμα πρός τινας ἐρωτήσεις αὐτόθεν ἢ παιδιᾶς γινόμενον.*

[1]) Quintil VI 3,102 sqq.

[2]) *ὀνειδισμὸς γάρ ἐστι τῆς ἁμαρτίας παρεσχηματισμένος τὸ σκῶμμα κατὰ τὸν Θεόφραστον κτλ.*

[3]) cf. cum his omnibus Aristot. rhet. II 2. p. 1379 a 29 sqq.

ἀλλὰ μὴ πόῤῥωθεν, οἷον ἐκ παρασκευῆς ἐπεισόδιον. Quae praecepta omnia Peripateticis tribuere minime dubito eam potissimum ob causam, quod similia etiam apud Ciceronem, quem libro Peripatetico uti certum est, reperiemus.

Utrum praeter Peripateticos de ridiculo fusius egerit quis necne, nescimus, ac quamquam non verisimile est a ceteris haec prorsus neglecta esse, tamen diversae doctrinae vestigia in Graecis litteris vix inveniuntur. Ne in iis quidem libris, qui a rhetoribus in usum scholae componebantur, risus tractabatur, sed ad troporum libros haec materia relegata est; nam *εἰρωνεία* tropus est, cuius complures species distinguuntur. Apud illos rhetores autem *εἰρωνεία* non sensu Aristotelico[1]) et Theophrasteo[2]) usurpatur, sed cum allegoria cognata est vel allegoriae id genus, quo contraria ostenduntur[3]). Ironiae plures discernuntur species, ut *σαρκασμὸς μυκτηρισμὸς χλευασμὸς ἀστεισμὸς χαριεντισμὸς* aliae. de quibus accuratius agere non meum est. Hoc tantum moneo in illis generibus ironiae a nonnullis enumerari etiam *παροιμίαν*[4]) et *εἰκασμὸν* vel *εἴκασμα*[5]) et fuisse qui etiam *μύθους* iis ascriberent[6]). Haec doctrinae Peripateticae vestigia esse videntur, quae ceterum cum tractatibus troporum non cohaeret; quod aperte demonstrat Quintilianus, qui in ipsa de risu disputatione troporum mentionem quidem facit, sed in afferendis exemplis tantum, cum autem tropos tractat, risus non meminit.

[1]) rhet. p. 1419 b 9: *ὁ μὲν γὰρ <εἴρων> αὑτοῦ ἕνεκα ποιεῖ γελοῖον.*
[2]) Char. I: *ἡ μὲν οὖν εἰρωνεία — προσποίησις ἐπὶ τὸ χεῖρον.*
[3]) Quintil. VIII 6,54; Trypho Sp. III p. 205 sq.
[4]) Trypho Sp. III 206. Quintil. VIII 6,57.
[5]) Trypho l. c. p. 202, Cocondrius p. 236.
[6]) Cocondrius Sp. III 236.

II.

Cicero Romanis tradit Peripateticorum de ridiculo doctrinam.

(de orat. II 216—289).

Ciceronis de ridiculi disputatio, quae alteri de oratore libro inserta est, ut Demetrii περὶ χάριτος excerpta cum ceteris partibus totius operis tam leviter conexa est[1]), ut iis neglectis tractari possit. Quod vel ea re efficitur, quod cum cetera ab Antonio et Crasso exponantur, in his Caesarem loquentem inducit scriptor. Apertum porro est ex proprio quodam fonte hanc doctrinam haustam esse, et ideo potissimum uberius de his disserit scriptor, quod in artibus rhetoricis ridiculum non fusius tractabatur[2]). Peripateticam doctrinam proferri a Cicerone secundum ea quae de Graecis diximus minime mirum est, neque ego primus hoc intellexi[3]). Sed totam disputationem breviter percensentes ac cum Graecae doctrinae reliquiis comparantes accuratius id demonstrabimus.

Antonius rem tractandam proponit Caesari, qui prooemio satis longo exponit talia non arte tradi, sed naturae esse propria. Vidisse se confitetur 'quosdam Graecos inscriptos libros de ridiculis' atque invenisse 'ridicula et salsa multa Graecorum'; sed eos qui 'eius rei rationem quandam artemque tradere conati sint', valde reprehendit: 'sic insulsi extiterunt, ut nihil

¹) At noli putare me iudicare de arte compositionis, quae satis multa apud Ciceronem est, prorsus nulla apud Demetrium.

²) cf. Kroll, Mus. Rhen. 1903 p. 573.

³) cf. Volkmann, Rhetorik² p. 289.

aliud eorum nisi ipsa insulsitas rideatur'. Quaeritur, quos libros spectet Cicero. Fieri sane potest, ut spectet Theophrastum et Demetrium Phalereum: sed num verisimile est eum viros doctissimos et clarissimos appellare insulsos? an putandum est praeter illos ab aliis scriptoribus artes de ea re compositas esse? Facilius fortasse alio modo res explicatur; puto enim iam in fonte Graeco huius disputationis idem dictum fuisse: insulsos esse eos homines, qui ridiculi 'rationem quendam artemque tradere' vellent. Nam simile quid iam in illis verbis inest, quibus Aristoteles eam partem artis rhetoricae incipit quae est de urbanitate, ubi non se docturum esse *τὸ ποιεῖν τὰ ἀστεῖα* promittit, sed species se ostenturum[1]. Quibus ex rebus fortasse concludere licet etiam Theophrastum vel Demetrium Phalereum idem paulo uberius exposuisse in prooemio, hos secutum esse Ciceronem, quae coniectura sane incerta est.

Plurimis deinde verbis Cicero exponit, etsi praeceptis in his nihil proficiatur, tamen rem non indignam esse quae tractetur. De divisione quae profertur § 218 (cavillatio vel perpetua festivitas[2] — dicacitas) paulo inferius dicemus, de toto autem prooemio, quamquam nonnulla praecepta de usu ridiculi continet[3], hoc loco accuratius agere non in animo est, quia proximo capite, ubi de Quintiliano agemus, haec comparare necesse est. Ea tantum monebo quae Graecam illam quam novimus doctrinam nobis in mentem revocant. Velut si legerimus § 218: 'leve nomen habet utraque res! quippe; leve enim est totum hoc risum movere', statim ut opinor reminiscemur Demetrii, qui distinguebat venustatem graviorem et leviorem[4], ac simul videmus a Cicerone eam partem *τῶν χαρίτων* de industria tractari, quae minus ponderis habebat apud illum. Ciceronem igitur libro *περὶ γελοίου*,

[1]) p. 1410 b 6. cf. supra p. 4.

[2]) Facetiae opponuntur dicacitati 'oratoris' § 87: verba Graeca, quae his respondeant, frustra quaero.

[3]) Quae omnia collecta leguntur in 'oratore' (§§ 88/89).

[4]) Nimirum non multum ponderis tribuo tali similitudini, quam casu ortam esse crederemus, nisi cetera accederent.

Demetrium libro *περὶ χάριτος* scripto usum esse verisimile est. Nonne praeterea in his Ciceronis verbis (219): ‘natura enim fingit homines et creat imitatores et narratores facetos’ Aristotelis sententiam recognoscere tibi videris (poet. 4 p. 1448 b 5): *τό τε γὰρ μιμεῖσθαι σύμφυτον τοῖς ἀνθρώποις ἐκ παίδων ἐστί*?

Deinde quod § 221 Cicero dicit dicta tenere difficillimum esse, mihi quidem persuasum est etiam Peripateticos hoc observasse, cum iam Aristoteles sic describat *τοὺς βωμολόχους* (eth. Nicom. IV 14 p. 1128 a 4): *γλιχόμενοι πάντως τοῦ γελοίου καὶ μᾶλλον στοχαζόμενοι τοῦ γέλωτα ποιῆσαι ἢ τοῦ λέγειν εὐσχήμονα καὶ μὴ λυπεῖν τὸν σκωπτόμενον.* Cum quibus verbis comparandae sunt Ciceronis §§ 244—247, ubi exponit quid intersit inter oratorem et scurram, in primis autem haec (247): ‘temporis igitur ratio et ipsius dicacitatis moderatio et temperantia et raritas dictorum distinguet oratorem a scurra, et quod nos cum causa dicimus, non ut ridiculi videamur, sed ut proficiamus aliquid, illi totum diem et sine causa. — risum quaesivit, qui est mea sententia vel tenuissimus ingenii fructus.’ Praeterea haec nos admonent Plutarchei illius capitis quod supra adscivi, ubi hominum et temporum rationem habendam esse didicimus.

§§ 225 sqq. cum facetiis comparatur vis tragici sermonis, ut appareat utrumque genus oratori utile esse; ne talem quidem comparationem alienam esse a libris Peripateticis docet Demetrius.

Inde a § 235 ipsam materiam tractare incipit Caesar, quam in quinque partes dividit. Ad primam quaestionem (quid sit) responsum non datur, quia neque responsum idoneum inventum sit[1]) neque ad rhetoricam id pertineat. Unde autem sit ridiculum, plane secundum Aristotelis doctrinam exponitur § 236: ‘locus autem et regio quasi ridiculi turpitudine et deformitate quadam continetur. Haec enim ridentur vel sola vel maxime quae notant et signant turpitudinem aliquam non turpiter.’ Eandem sententiam invenimus in Aristotelis arte poetica (cap. 5 p. 1449 a 32): *τὸ γὰρ γελοῖόν ἐστι ἁμάρτημά*

[1]) cf. § 217.

τι καὶ αἶσχος ἀνώδυνον καὶ οὐ φθαρτικόν[1]. Nulla autem in re melius observari potest, quantopere Cicero pendeat ex Aristotele vel ex Peripateticis, qui inter utrumque sunt; nam si hac in re, de qua permulta excogitari et disseri possunt[2], nihil profert nisi illorum definitionem brevissimam, ne in ceteris quidem rebus alium fontem adhibuisse putandus est.

Tertio loco exponitur esse oratoris movere risum, causae afferuntur: ne hoc quidem neglegi poterat in libris Peripateticorum[3]) neque neglectum est ab Aristotele[4]).

Deinde quaeritur, quatenus ridicula oratori tractanda sint, ac respondetur § 238: ‘ea facillime luduntur, quae neque odio magno neque misericordia maxima digna sunt’. Etiam tales res ab Aristotele et eius discipulis tractata esse supra vidimus. Sed ut Cicero ad haec se reversurum esse promittit, sic nos quoque rem differremus[5]). Tum enim ipsa ridiculorum genera tractantur. Initium autem fit ab ea divisione quam novimus: ‘duo sunt enim genera facetiarum, quorum alterum re tractatur alterum dicto, re si quando’ eqs. Exspectes tum enumerari omnia genera quae re contineantur ita ut ordo quem adhuc observavimus[6]) invertatur; sed duo tantum genera.

[1]) Nimirum multi hanc similitudinem perspexerunt, cf. Volkmann, Rhetorik² p. 289. Moneo me minime omnibus locis indicare posse, quis quidque primus invenerit, ut in commentariis rhetoricorum librorum Ciceronis, in Spaldingii editione Quintiliani multa allata sunt, quae repeto; quae colligere corrigere augere nostrum putavimus.

[2]) Quod demonstro exemplo Caroli Julii Weberi: Demokritos, oder hinterlassene Papiere eines lachenden Philosophen.

[3]) At a Peripateticis non solum oratoris rationem habitam esse puto, sed omnium hominum: cf. § 271: ‘et hercule omnia haec, quae a me de facetiis disputantur, non maiora forensium actionum quam omnium sermonum condimenta sunt’.

[4]) rhet. p. 1419b 2: περὶ δὲ τῶν γελοίων, ἐπειδή τινα δοκεῖ χρῆσιν ἔχειν ἐν τοῖς ἀγῶσι κτλ.

[5]) Cum Ciceronis verbis (238): ‘quam ob rem materies omnis ridiculorum est in iis vitiis, quae sunt in vita hominum; (239) est etiam deformitatis et corporis vitiorum satis bella materies ad iocandum’ apte comparantur haec verba tractatus Coisliniani (§ 5): ὁ σκώπτων ἐλέγχειν θέλει ἁμαρτήματα τῆς ψυχῆς καὶ τοῦ σώματος; cf. etiam Plut. l. c. c. 8 9.

[6]) Genera verborum priore loco tractari solebant

ut supra exposuimus, tractantur: narratio et depravata imitatio. Quod ea re explicatur quod Cicero alteram illam divisionem respicit, quam § 218 induxit[1]), quam etiam in Tzetzae excerpto agnoscere nobis videbamur[2]). Ridiculorum generum alia magis in perpetua quae vocatur festivitate adhibentur, alia magis in brevioribus dictis: ac perpetuae quidem festivitati talia tantum genera conveniunt, quae in re posita sunt et ne haec quidem omnia; at ea quae usu verborum valent, ad dicacitatem referenda esse perspicuum est.

Ut hic apud Ciceronem duo genera a ceteris rei generibus separantur, sic duo genera separata leguntur[3]) in Tzetzae excerpto, ac mihi quidem *ἀπάτην* illam aliquo modo cum hac narratione, quae aut mendaciunculis aspergenda est aut plane fingitur, cognatam videri supra exposui; imitatio depravata Ciceronis quin sit Graeca *ὁμοίωσις πρὸς τὸ χεῖρον* dubium non est[4]). Apud Demetrium, ubi *γελωτοποιία* mimica ut ita dicam neglegitur, dispositio paulo differt; tamen Demetrii etiam in his admonemur: Cicero 241: 'sive habeas vere quod narrare possis — sive fingas'; Demetrius 157/58: *καὶ μῦθος . . . ἤτοι ὁ κείμενος — πολλοὺς δὲ καὶ προσπλάσσομεν κτλ.*

Mimica autem haec genera ipsi Ciceroni esse videntur[5]), qui admonet oratorem, ne nimis imitationi indulgeat 242: 'mimorum est enim et ethologorum, si nimia est imitatio, sicut obscenitas'.

Deinde ad dicta transit Cicero § 244: 'in dicto autem ridiculum est id, quod verbi aut sententiae quodam acumine movetur'. Eadem divisio inducebatur in fine § 239, repetitur §§ 248 et 252; nam 'sententia' hoc loco idem est quod alibi vocatur res; quae verba eodem modo usurpantur quo apud

[1]) cf. p. 26.

[2]) cf. p. 13.

[3]) ceteris omissis.

[4]) Utraque est nostra 'Karikatur'.

[5]) Mimicum etiam id genus narrationis est, quod hoc loco tratatur: cf. § 241: 'est autem huius generis virtus, ut ita facta demonstres, ut mores eius, de quo narres, ut sermo, ut vultus omnes exprimantur, ut iis qui audiunt tum geri illa fierique videantur'.

Graecos *διάνοια* et *πράγματα* [1]. Priusquam autem ipsa genera dictorum enumerantur, exponitur quid vitandum sit in usu dictorum. atque ex parte quidem Caesar ea repetit, quae Antonius dixerat §§ 229/30 vel quae §§ 221/22 praemonuerat ipse: iterum igitur Aristotelis Demetrii Plutarchi reminisci oportet.

§ 248 rursus ad ipsa genera accedit et repetit illam divisionem generalem: 'haec igitur sit prima partitio, quod facete dicatur, id alias in re habere alias in verbo facetias'. Additur 'maxime homines delectari, si quando risus coniuncte re verboque moveatur'. Quam sententiam non novam esse dicere non opus est; nam quamquam non plane idem dicitur in Demetrii § 133, ubi *πρᾶγμα ὕλην* esse ostendimus, tamen sententia similis est, ac simile quid etiam in his Aristotelis verbis inest (rhet. III 11 p. 1412b 30): *ὅσῳ δ᾽ἂν πλείω ἔχῃ* [scil. *τὰ εἴδη*], *τοσούτῳ ἀστειότερον φαίνεται*, etsi de re verboque coniunctis illic non agitur.

Sed iterum interrumpitur progressus dissertationis; nam antequam genera enumerat, scriptor monet 'ex iisdem locis, unde ridicula ducantur, etiam graves sententias posse duci'. Statim ut opinor reminiscimur divisionis Demetrianae (128): *τῶν δὲ χαρίτων αἱ μέν εἰσιν μείζονες καὶ σεμνότεραι κτλ.* ac paene mirum est Ciceronem non loqui de venustate severiore, sed omnino de gravioribus sententiis [2]; tamen quin idem intellegat non dubito: 'sententia' enim hoc loco paene idem valet atque 'dictum', quod sine gratia quadam omnino esse non potest, id quod vel exempla demonstrant. Ut apud Demetrium dicta severiora a ridiculis distinguuntur, sic apud Ciceronem severiores sententiae non tractantur quidem, sed in comparationem vocantur. Eandem fere rationem inter libros Peripateticos *περὶ χάριτος* et *περὶ γελοίου* scriptos intercessisse puto.

Altera observatio priori adnectitur § 251: 'atque hoc etiam animadvertendum est non esse omnia ridicula faceta' [3].

[1]) cf. p. 18 adn. 2.

[2]) At cf. § 262: sunt etiam illa venusta ut in gravibus sententiis sic in facetiis eqs.

[3]) cf. quae de duplici genere iocandi Cicero exponit de off. I 29,104.

Detrahuntur ea genera ridiculi, quae faceta non sunt ideoque oratorem non decent. Ac primum natura ridicula ('morosum superstitiosum suspiciosum gloriosum stultum'[1]) oratori vitanda est. De altero genere, imitatione, idem fere iam § 242 dictum est; sed hic habemus id vocabulum (liberale), quod Aristotelis nos admonet (Ethic. Nicom. IV 14 p. 1128a 17): *τοῦ δ' ἐπιδεξίου ἐστὶ τοιαῦτα λέγειν καὶ ἀκούειν οἷα τῷ ἐπιεικεῖ καὶ ἐλευθερίῳ ἁρμόττει κτλ*; p. 1128a 20: *καὶ ἡ τοῦ ἐλευθερίου παιδιὰ διαφέρει τῆς τοῦ ἀνδραποδώδους κτλ.* Praeterea similia in arte poetica exposita fuisse didicimus ex illo artis rhetoricae loco quem supra attulimus[2]): *ὧν τὸ μὲν ἁρμόττει ἐλευθέρῳ τὸ δ' οὔ*; similia etiam a Peripateticis exposita fuisse didicimus ex Demetrio et Plutarcho.

Secuntur apud Ciceronem haec: 'tertium, oris depravatio, non digna nobis; quartum, obscenitas, non modo non foro digna, sed vix convivio liberorum'. Hoc convivium liberorum[3]), in quo paulo plus licentiae admittitur quam in foro, etiam apud Demetrium invenimus (§ 170).

Denique exponitur accurate, quid intersit inter genera ridiculi in re et in verbo posita: 'nam quod, quibusquomque verbis dixeris, facetum tamen est, re continetur; quod mutatis verbis salem amittit, in verbis habet leporem omnem'. Eodem igitur modo differunt haec genera quo differunt inter se figurae sententiarum et verborum.

Jam sequitur enumeratio ipsorum generum, in qua noli mirari si ampliorem reperiemus materiam quam in excerptis Coislinianis et apud Demetrium; illa enim excerpta sunt, a Cicerone omnia fere genera describuntur. Tamen non multa a Cicerone adiecta sunt, immo dubium non est, quin plurima debeat Graecis, praesertim cum ipse id confiteatur § 288: 'colliguntur a Graecis alia nonnulla, exsecrationes admirationes minationes. Sed haec ipsa nimis mihi videor in multa genera discripsisse'. Exempla tantum ex Latinis litteris sumpta sunt.

[1]) 'Hier hat Cicero die vornehmlichsten Charaktervollen in Mimus und Atellane mit Kennerblick herausgegriffen' (Reich, der Mimus I p. 66).

[2]) p. 1419b 7, cf. supra p. 3.

[3]) cf. de off. I l. c., praeterea 40,144.

Ut in excerptis et apud Demetrium priore loco enumerantur ridicula in verbo posita, ac primum est ambiguum, quod deesse videtur in excerptis et apud Demetrium, nisi ambiguum dicat quis *συντομίαν*, de qua primo loco agit Demetrius § 138; quod iniuria ut mihi videtur facit Liersius (Fleckeis. ann. 1887 p. 688). Tamen ambiguum non neglectum esse in veteribus de ridiculo disputationibus nos docuit tractatus Coislinianus, ubi primo loco affertur homonymia, quae est species amphiboliae[1]). Ab Aristotele vocabulum *ἀμφιβολία* non usurpatur, tamen vim vocabuli significat, ubi de homonymia loquitur (rhet. III 11 p. 1412b 9): *ἀλλ' οὐχ οὕτω λέγει ἀλλ' ἄλλως, καὶ ἀρχὴν οὐχ ὃ εἶπεν ἀπόφησιν, ἀλλ' ἄλλως.* Ceterum etiam alia verba Ciceronis similia sunt Aristotelis verbis eodem loco prolatis, ut inter se comparari velim has utriusque sententias: Cic. 254 'ingeniosi enim videtur vim verbi in aliud, atque ceteri accipiant, posse ducere' — Aristot. p. 1412b 7 *ἀμφοτέρως γὰρ ὃ οὐκ ἂν φήθη τις ἐρεῖν, τοῦτ' εἴρηται.* Deinde iis quae de decepta exspectatione adicit Cicero § 255, aperte eandem exprimit sententiam atque Aristoteles eodem capite p. 1412a 18: *ἔστιν δὲ καὶ τὰ ἀστεῖα τὰ πλεῖστα διὰ μεταφορᾶς καὶ ἐκ τοῦ προσεξαπατᾶν· μᾶλλον γὰρ γίγνεται δῆλον ὅτι ἔμαθε παρὰ τὸ ἐναντίως ἔχειν, καὶ ἔοικεν λέγειν ἡ ψυχὴ 'ὡς ἀληθῶς, ἐγὼ δὲ ἥμαρτον'* — sic Cicero: 'sed scitis esse notissimum ridiculi genus cum aliud expectamus aliud dicitur. hic nobismet ipsis noster error[2]) risum movet'.

Ceterum non de industria a Cicerone hic tractatur decepta opinio, qua exemplo tantum utitur eius rei, quod ambiguum cum alio genere ridiculi coniunctum maiorem moveat risum. Id moneo, quia omnes editores[3]) falsa opinione deceptos esse video. Non a verbis 'quae genera percurram equidem' nova pars incipienda erat, sed haec et quae secuntur omnia pertinent ad primum genus, id est ad ambiguum: nova

[1]) Quintil. VII 9, Trypho Sp. III p. 203. Anaximenes Sp. I p. 212. cf. supra p. 10.

[2]) Eandem repetit sententiam § 260.

[3]) cf. adnotationes Pideritii.

particula incipit a verbis 'alterum genus est'. Concedo errorem facile nasci potuisse, sed tamen error est[1].

Ambigui species, 'de quibus est doctrina quaedam suptilior', non omnes enumerat Cicero; fieri autem potest, ut in libris Peripateticis plura de ambiguitate disputata fuerint; num etiam *συνωνυμία* et *ἀδολεσχία* eius species sunt? Haec enim genera sequitur in tractatu Coisliniano *παρωνυμία*. apud Ciceronem autem sequitur *παρονομασία* § 256: 'alterum genus est, quod habet parvam verbi immutationem, quod in littera positum Graeci vocant *παρονομασίαν*'. Atque *παρωνυμίαν* tractatus Coisliniani eandem nobis esse videri atque *παρονομασίαν* ceterorum supra diximus[2]; ab Aristotele idem schema vocatur *παρὰ γράμμα σκῶμμα*[3]).

Interpretatio nominis (§ 257) species est *τῆς παρονομασίας*; nec maiore iure ab hoc genere separare licet *παρῳδίαν*[4]), quae hic ut apud Aristotelem (p. 1412 a 29) coniuncta est cum *παρὰ γράμμα σκώμματι*. Apud Demetrium idem genus affertur § 150.

Subiunguntur a Cicerone proverbia ridicule adhibita; sed quod dicit: 'quare ea quoque quoniam mutatis verbis non possunt retinere eandem venustatem, non in re sed in verbis posita ducantur' pugnare videtur contra diversam cuiusdam scriptoris sententiam, ac re vera apud Demetrium (§ 156) in rebus ponitur *παροιμία*. Haec igitur dispositio etiam in Ciceronis fonte fuisse videtur.

Quod deinde subnectit Cicero (259 'est etiam in verbo positum non insulsum genus ex eo quom ad verbum non ad sententiam rem accipere videare' eqs), apud ceteros in ver-

---

1) Decepta opinio tractatur §§ 284 sqq.: 'quae genera ⟨post⟩ percurram equidem' scribendum proponit Elter, qua emendatione accepta 'sed' quod sequitur bene explicatur ('ac' male coniecit Adler).

2) cf. p. 10/11.

3) Quod vocabulum non ignorabat Cicero, cf. epistulam ad P. Volumnium missam (ad fam. VII 32,2).

4) Hoc vocabulum, quod eo sensu neque ab Aristotele neque a Demetrio neque a Cicerone usurpatur, exstat apud Quintilianum VI 3,97. Hermogenis *παρῳδία* (II 453 Sp.) *παρὰ γράμμα* potius est.

borum generibus non ponitur atque sine dubio cognatum est iis quae in rebus tractantur inde a § 273; ceterum Cicero ipse adicit § 260: 'haec aut frigida sunt aut tum salsa, quom aliud est expectatum'.

Omnia autem haec genera quae affert Cicero unum complectitur Aristotelis vocabulum: *παραπεποιημένα* (rhet. p. 1412 a 27.)

'Immutata oratio', quae sequitur § 261, Graecorum est *ἀλληγορία*: exemplum allatum a Cicerone ('ut sementem feceris, ita metes') iam ab Aristotele loco simillimo affertur (p. 1406 b 9: *σὺ δὲ ταῦτα αἰσχρῶς ἔσπειρας κακῶς δὲ ἐθέρισας*. Vocabolum *ἀλληγορία*, quod ab Aristotele non usurpatur, legitur apud Demetrium § 151[1].

Sequitur translatio, quae ipsa quoque a Demetrio affertur (§ 142), ab Aristotele autem uberrime tractabatur. Etiam verborum inversio (ironiam dicunt rhetores ut nos hodie), quae tum tractatur, aliquo modo *ἀλληγορία* est; cuius rei testem habeo Quintilianum, qui vocem Graecam sic explicat (VIII 6, 44): '*ἀλληγορία*, quam inversionem interpretantur, aut aliud verbis, aliud sensu ostendit, aut etiam interim contrarium'. Utramque Quintiliani speciem habes apud Ciceronem, qui alteram appellat immutationem, alteram inversionem[2]).

Qui autem voce Aristotelica ea genera, quae tractantur §§ 261/62, comprehendere studet, is aut metaphora vocabulo uti cogitur[3]) aut ea voce, quae apud Aristolelem omnes 'tropos' posteriorum scriptorum comprehendit quaeque exstat in tractatu Coisliniano eo potissimum loco, quo eam desideramus: *ἐξαλλαγὴν* dico.

Ordinem generum in verbo positorum claudit *ἀντίθεσις* (verba relata contrarie 263). Quocum genere cognatum est Demetrii illud § 154 (*κῶλα ὅμοια*)[4]); *ἀντίθεσιν* ipsam Aristoteles in numero generum venustorum habet rhet. p. 1410

[1]) cf. supra p. 19.

[2]) Ironia accuratius tractatur a Quintiliano l. c. § 54 sqq.

[3]) cf. Cicero, Orator § 94.

[4]) cf. supra p. 20.

b 29 (cf. 1412 b 23)[1]. Statim autem reminiscaris necesse est ἀντίθεσιν vocari ab Aristotele σχῆμα λέξεως, ac schemate λέξεως claudi genera verborum in tractatu Coisliniano ut 'verbis contrarie relatis' apud Ciceronem.

Ita igitur congruunt catalogus Coislinianus et Ciceronis disputatio, ut dubitari omnino nequeat, quin ex eodem fonte scriptores hauserint. Ab ambigui generibus uterque incipit, secuntur paronomasiae genera, deinde exallages genera, agmen claudit σχῆμα λέξεως. Tamen non contenderim Ciceronem ipso Aristotelis libro usum esse, ex quo tractatum excerptum esse putamus. Quod si Theophrasti vel Demetrii libro usum esse Ciceronem censebimus, Peripateticos illos servasse dispositionem Aristotelicam statuendum erit. Cicero ipse nihil se omisisse putat (264): 'ac verborum quidem genera quae essent faceta dixisse me puto'.

Deinde de rebus disserere incipit, tamquam si antea eas omnino non respexisset; nam primum genus ut in perpetua festivitate est narratio, de qua hic plura exponuntur cuiusque plura genera distinguuntur (apologi — historia). Scriptor ipse igitur neglegit eam divisionem, quam § 218 induxit, §§ 240 sqq. adhibuit; nam in dicacitate narrationem locum non habere apertum est. Doctrinae autem Aristotelicae statim Ciceronis verba nos admonent, velut haec: 'exprimenda enim sunt et ponenda ante oculos ea, quae videantur et veri similia' eqs. in mentem revocant Aristotelis illud πρὸ ὀμμάτων ποιεῖν (rhet. 1410 b 34 et 1411 b 23), quod inter facetias habetur. Quae autem secuntur verba: 'et quae sint, quod ridiculi proprium est, subturpia' eam sententiam Aristotelis continent, quam ad § 236 adnotavi[2]). Exemplum quod afferebatur § 240, etiam hoc loco sufficit.

Deinde quod 'narrationes apologorum' subnectit Cicero, disputationem aeque compositam sequitur ac Demetrius §§ 156 sqq.; detracto enim proverbio, quod Cicero consulto in verborum generibus posuit, primum genus apud Demetrium est ὁ μῦθος.

[1]) cf. supra p. 5

[2]) cf. supra p. 27.

Alterum genus est similitudo, quae dividitur in duas species (256): 'est etiam ex similitudine, quae aut conlationem[1]) habet aut tamquam imaginem'. Aperte nunc videmus similem ordinem sequi Ciceronem et Demetrium; nam etiam apud Demetrium secuntur *αἱ εἰκασίαι*[2]), atque in excerptis quoque si sequimur Tzetzem, idem ordo servatus est; nam *ὁμοίωσιν* idem esse posse ac similitudinem nemo negabit. Praeterea verbis Ciceronis altera species *ὁμοιώσεως* illius (*πρὸς τὸ χεῖρον*) circumscribitur (266): 'valde autem ridentur etiam imagines, quae fere in deformitatem aut in aliquod vitium corporis ducuntur cum similitudine turpioris'[3]). Alteram speciem (*πρὸς τὸ βέλτιον*) minus idoneam esse, quae risum moveat, apertum est.

Etiam in proximo genere mirum vel potius non mirum in modum congruunt scriptores. Apud Ciceronem enim ut apud Demetrium sequitur hyperbole, quae secundum Demetrium fit *ἐκ τοῦ ἀδυνάτου*, in excerptis autem proximus locus est: *ἐκ τοῦ ἀδυνάτου*. Hyperbolen, quamquam vocabulum ipsum hoc loco[4]) non usurpatur, significari apparet his verbis (267): 'etiam illa, quae minuendi aut augendi causa ad incredibilem admirationem ecferuntur'.

Sed iam abscedere videtur Cicero a fontibus Graecis ac suum tenere cursum; sequitur enim schema quod frustra quaeras in ceteris tractatibus (268): 'arguta etiam significatio est, cum parva re et saepe verbo res obscura et latens inlustratur'. Sed minime mirum est apud Ciceronem nunc apparere multa genera, quae apud ceteros non inveniuntur, cum ibi habeamus excerpta, hic disputationem integram. Praeterea quamquam pleraque Ciceronem debere Graecis scimus, tamen nemo erit tam stultus ut neget virum facetissimum quicquam de suo adiecisse. Denique verisimile est

[1]) Graecorum *παραβολή*, cf. Quintil. VIII 3,77.

[2]) Interiecta § 159; conlatio tractatur § 146.

[3]) Noli mirari, quod et 'imitationem depravatam' est similitudinem cum Graeca homoeosi confero; nam Graeco genere utrumque Ciceronis contineri puto.

[4]) Usurpatur in illa epistula quam commemoravi (ad fam. VII 32).

Ciceronem sibi ipsum collegisse facete dicta, ut utebatur collectione dictorum Catonis, atque dictorum genera discernere conatum esse, ita ut genera nonnulla quae tractat magis ad explicationem dictorum inventa sint.

Quae autem § 269 tractatur dissimulatio minus ad singulos ridiculi locos pertinere videtur quam ad totum iocandi genus, quod ab Aristotele dividebatur in *εἰρωνείαν* et *βωμολοχίαν*. Ac Cicero ipse hanc ironiam distinguit ab illa superiore, quam vocabat inversionem (§ 262).

Subnectitur § 272 species quaedam dissimulationis: 'quom honesto verbo vitiosa res appellatur'.

Etiam proximum genus (273 'quom ex alterius oratione aliud excipias atque ille volt') potest adnumerari dissimulationi, atque omnia quae secuntur genera quasi per dissimulationem fiunt; nam qui 'subabsurda' (274) dicit, non ipse stultus est, sed se stultum esse simulat. Eiusdem generis species adiungitur § 275: 'ex quo genere est etiam non videri intellegere quod intellegas'.

Faceta repulsio deinde (277) paucis verbis absolvitur.

Proximum genus (278 'salsa sunt etiam, quae habent suspicionem ridiculi absconditam') nescio an comparare liceat cum Demetrii *κατηγορίᾳ ἀποκεκρυμμένῃ* (§ 155), quae una saltem species generis Ciceroniani est.

Proxima paragrapho (279) duo genera inter se opponuntur, quae in indole ac moribus hominum posita sunt ('stomachosa et quasi submorosa' — iocus hominis 'patientis ac lenis').

Tractantur deinde haec genera, quae enumerare satis habeo: 'est etiam stultitiae salsa reprehensio (280);

movent etiam illa, quae coniectura explanantur longe aliter atque sunt, sed acute atque concinne (280);

ridetur etiam discrepantia (281);

bella etiam est familiaris reprehensio quasi errantis (281);

huic similis est etiam admonitio in consilio dando familiaris (282);

bellum etiam est, quom quid cuique sit consentaneum dicitur' (283).

Quorum generum complures non a Graecis tradita, sed a Cicerone e dictis collectis cogitatione inventa esse puto.

Gravissimum autem simulque frequentissimum genus ultimo loco tractatur (284): 'sed ex his omnibus nihil magis ridetur, quam quod est praeter expectationem; cuius innumerabilia sunt exempla.' Quae adduntur schemata huic generi subicienda sunt, sunt autem haec:

'saepe etiam facete concedas adversario id ipsum, quod tibi ille detrahit (286);

saepe etiam sententiose ridicula dicuntur (286);

saepe etiam salse quae fieri non possunt optantur (287);

salsum est etiam quaerentibus et quasi percontantibus lente respondere quod nolint'.

Deceptam opinionem non neglectam esse a Graecis scimus; hic Graecorum nos admonent ridicula sententiose dicta; ἀποφθέγματα enim etiam ab Aristotele in facetiis commemorantur (rhet. p. 1412 a 21).

In fine totius disputationis genera praecipua eorum iocorum, qui in re positi sunt, colliguntur (289):

'haec autem, quae sunt in re et ipsa sententia, partibus sunt innumerabilia generibus pauca.

expectationibus enim decipiendis et
naturis aliorum inridendis
ipsorum ridicule indicandis et
similitudine turpioris et
dissimulatione et
subabsurda dicendo et
stulta reprehendendo risus moventur'.

Praeter ea genera, quae nos hodie apud Graecos invenimus, Cicero Graecis non multa debere videtur; nam mihi quidem persuasum est eum ipsum cetera discrevisse, id quod testatur § 288: 'sed haec ipsa mihi videor in multa genera discripsisse'. Quae res alio testimonio confirmatur; nam etiam in Latinis litteris ut in Graecis catalogus quidam exstat generum ridiculi, qui minime neglegendus est. Librorum enim ad Herennium missorum auctor decima primi libri paragrapho ea quae risum movere possint enumerat, ac

non modo eadem fere habet genera quae Cicero, sed etiam iisdem vocabulis res significat. Sed miro modo fit, ut omnia ea genera, quae a Cicerone inventa esse putavimus non exhibeat, sed ea tantum, quae etiam apud Graecos repperimus. Ut autem demonstrem, quam arte cohaereant scriptores, exscribam locum ita, ut adiciam disputationis Ciceronianae eas paragraphos, in quibus idem vel tractatur vel commemoratur:

'si defessi erint audiendo, [scil. excordiri poterimus] ab aliqua re, quae risum movere possit,

ab apologo	(264)
fabula verei simili	(240 sq., 264)
imitatione depravata	(242)
inversione	(262)
ambiguo	(253 sqq.)
suspicione	(278)
inrisione	(289, cf. 277)
stultitia	(274 sq.)
exuperatione	(ὑπερβολὴ aperte tractatur 267)
collectione[1])	(cf. coniectura 280?)
litterarum mutatione	(256)
praeterexpectatione[2])	(284)
similitudine	(265 sq.)
novitate	(cf. Aristot. rhet. p. 1412 a 25 καινὰ λέγειν.)
historia	(265)
versu	(257)[3]).

Qui catalogus incipit quidem ab iisdem rebus, quae Cicero primo loco tractat, a narratione et imitatione depravata, sed in ceteris certum ordinem frustra quaeras. Apertum autem est auctorem huius libri ex eodem fonte haurire atque Ciceronem, ac tantopere concinunt non modo in rebus, sed etiam in verbis, ut utrumque Latino quodam libro usum

[1]) Malim scribere collatione (Cicero 265, cf. Quintil. IX 2,103).

[2]) Sic corrigendum pro 'praeterea expectatione', cf. Marxius p. 27.

[3]) Post 'versu' graviore nota distinguendum est quam fecerunt editores; nam quae secuntur 'ab alicuius interpellatione aut adrisione' a generibus ridiculi separanda sunt; quod vel ex repetito illo 'ab' cognoscas.

esse coniciat quis. Qua re ducimur ad eam quaestionem, quae absolvenda nobis relinquitur, utrum ipsis libris Graecis Cicero usus an Latinum quendam scriptorem secutus sit. Quod primo obtutu tam verisimile esse videtur, ut statim ostendere te posse eum opineris, quem secutus sit, eum dico, qui in Ciceronis disputatione doctrinam profert, Caesarem Strabonem. Quae coniectura si ullo testimonio firmaretur, equidem eam amplecti non dubitarem; sed omnia contra faciunt. Nam quamquam Caesarem facetissimum fuisse constat[1], quamquam multum eum elaborare in eo studio audimus[2]), tamen si librum de ea re composuisset, Cicero id tacere non potuit. Cicero vero neque in ea quam tractamus disputatione nec 'Bruti' eo loco quem adnotavi scripsisse Caesarem de ridiculo testatur; immo tam nihil tribuere videtur ei rei, quod a Caesare profertur illa doctrina, ut ipse alio tempore per Antonii personam se illa disputasse putet[3]). Itaque equidem, nisi certum inventum erit testimonium, mihi non persuadebo Caesarem scripsisse de ridiculo, atque omnino non credo ante Ciceronem in Latinis litteris hanc rem tractatam fuisse. Ciceronem et Cornificium quem dicunt eodem libro Graeco usos esse persuasum habeo; quo in libro ea genera ridiculi afferebantur, quae apud utrumque leguntur: quod si Cornificii genera detrahimus ex Ciceronianis, ea remanent, quae Ciceronis sunt. Hoc unum statuendum erit apud Romanos has res tam notas fuisse, ut diversi scriptores Graeca vocabula iisdem Latinis verterent.

Exemplorum, quae consulto negleximus, Cicero partem ipse collegisse vel e memoria prompsisse videtur, partem collectam inveniebat. Nam non modo dictis clarorum virorum a Catone collectis uti licebat, sed etiam ipsius Catonis dicta collecta erant. Priore illa collectione se uti Cicero profitetur § 271, neque vero ipsius Catonis dicta desunt. De ceteris exemplis disserere longum est.

[1]) cf. Cicero, Brutus § 177.

[2]) De orat. II 231.

[3]) In ea epistula ad Volumnium data (ad fam. VII 32, 2), quam commemoravi.

III.

De Quintilianeae disputationis indole et fontibus.

(Institut. orat. VI 3).

Gravioribus affectibus, quos altero sexti libri capite tractat Quintilianus, proxima parte risum opponit, non tamen ita ut hunc cum illis comparet; sed haec quoque disputatio, ut dixi initio dissertationis, cum ceteris partibus leviter admodum cohaeret, quoniam propriis libris vel tractatibus de ridiculo agere solebant. De fontibus, ex quibus profluxerit Quintiliani doctrina, primum ipsum scriptorem interrogabimus. Cuius ex verbis (§ 11) 'suntque ad id pertinentia et a Graecis et a Latinis composita praecepta' colligat quispiam eum plures novisse huius rei tractatus; sed unum tantum scriptorem excepto Cicerone aperte profitetur se legisse: Domitium Marsum, quem scripsisse de urbanitate solus Quintilianus tradit (§§ 102/03). Sed Marso quid debeat difficillimum est dictu, quod de indole illius libri paene nihil scimus. In appendice tantum disputationis scriptor Marsi mentionem facit, quocum de notione ac vi 'urbanitatis' non consentit. Nam secundum Marsi finitiones, quas affert Quintilianus §§ 104/05, 'quidquid bene dicitur, et urbane dicti nomen accipit', atque in numerum urbane dictorum recepit ille quaedam, quae, quamquam optime dicta sunt, tamen Quintiliano nomen urbanitatis iniuria accipere videntur. Omnino scriptori ipsi urbanitas 'non tam in singulis dictis quam in toto colore dicendi' esse videtur. Si autem praeter ridicula seriis quoque dictis nomen urbanitatis tribuendum sit, illa potius urbana ex serio se dicturum esse

exponit, quae sint 'generis eiusdem ex quo ridicula ducantur et tamen ridicula non sint.' De indole libri Marsiani ex his perpauca discimus. Discimus eum finivisse urbanitatem ac, quamquam etiam narrandi urbanitatem probabat, in dictis praecipue posuisse, discimus eum dicta urbana divisisse in seria iocosa media, seria in honorifica contumeliosa media, discimus denique eum exemplis illustrasse illa genera, ac quoniam paucae finitiones librum non explent, verisimile est eum non parvum numerum dictorum congessisse.

De locis ridiculi egisse Domitium Marsum neque usquam scriptum legitur neque verisimile est, ac vix quisquam demonstrare poterit, quo modo dicta disposita fuerint. Qua de re coniecturam protulit Wissowa in Analectis Macrobianis [1]. Apud Macrobrium enim, qui in altero Saturnaliorum libro multa facete dicta congessit, compluria dicta inveniuntur, quae etiam in Quintiliani de risu disputatione afferuntur. Utrumque scriptorem eodem fonte usum esse perspicuum est [2]; cum autem duo exempla apud utrumque legantur (Quintil. 109 et 111, Macrob. II 3,7 et 8), quibus Marsum usum esse profitetur Quintilianus, Wissowa coniecit fontem communem esse Domitii Marsi librum. Quae sententia primo obtutu probabilis esse videtur, atque ipse idem conieci, priusquam cognovi Wissowae commentationem. At sunt, quae contra faciant. Nam ea dicta quae Domitium Marsum attulisse dicit Quintilianus, Ciceronis sunt; sed dictorum Ciceronis quibus Quintilianus ipse doctrinam suam illustrat nullum apud Macrobium invenitur: in his igitur si Macrobius Marsum secutus est, Quintilianus Marsum non secutus est. Immo Caesaris Augusti quattuor dicta apud utrumque leguntur [3]) et Cascellii dictum unum (Quintil. 87 — Macrob. II 6,2), sed nusquam traditur Marsum collegisse Augusti dicta, id quod ne verisimile quidem est, cum Marsum paucis annis post Christum natum mortuum esse

[1]) Hermae vol. 16, p. 499 sqq.

[2]) cf. Wissowae argumenta l. c.; addo eodem ordine dicta Augusti proferri apud utrumque (apud Quintil. §§ 59, 64, 76, 77, apud Macrobium quarti capitis §§ 3, 6, 7, 16).

[3]) cf. adnot. 2.

sciamus [1]). Quamvis igitur doleam, quod alium scriptorem Marsi loco substituere non possum, tamen illum abicere non dubito. quoniam certi nihil efficitur.

Nonnullos autem libros praesto fuisse Quintiliano scimus, unde peteret exempla; nam ferebantur tres libri dictorum Ciceronis, quae 'Tiro aut alius quisquis fuit' (Quint. § 5) collegerat, editi erant libri dictorum Domitii Afri [2]), quibus satis saepe utitur Quintilianus [3]). Sed minime dubium est, quin plures collectiones dictorum illa aetate in manibus Romanorun fuerint, quarum nos ne titulos quidem novimus; cf. Quintil. § 65.

Talibus igitur collectionibus praeter Ciceronem Quintilianus usus est; nam Graecis libris hoc quidem in capite eum usum esse equidem nego. Commemorantur Graeci, sed neque ullius scriptoris nomen affertur neque quidquam invenio, quod e Graecorum libris sumptum esse crediderim.

Ciceronis disputationem non neglexisse Quintilianum, cum ei agendum esset de ridiculo, ut per se verisimile est ita satis notum. Tamen accuratius quae ratio intercederet inter utrumque quantum scio nemo disquisivit; quod nos hac quidem in parte facere cogimur. Ac doleo, quod non totum Quintilianum cum toto Cicerone comparare possum, quae res et huius dissertationis fines longe supervadit neque brevi temporis spatio absolvi potest. Tum demum certum iudicium de ratione, quae inter eos intercedit, proferri poterit, cum omnes partes libri Quintilianei ita disquisita erunt ut nos hanc unam partem disquiremus. Facile autem neglectis iis quae scriptor ipse addidit tota disputatio in tres partes dividi potest, quarum una in universum (§§ 1—56 (59), 84—100) Ciceroni debetur, altera (57—83) non, tertia (101—112) appendix est. Quae divisio sane neque certa neque distincta

---

[1]) Etiam minus probabile est eum Iuliae obscena dicta Augusto et ipsa Iulia viventibus publici iuris fecisse.

[2]) Non aliorum dicta a Domitio Afro collecta continebantur his libris, sed ipsius Afri dicta, id quod e Quintiliani verbis (42) apparet. Id moneo, quia complures viros doctos in errorem incidisse video.

[3]) §§ 32, 54, 68, 81, 84, 85, 92, 93, 94.

est eam potissimum ob rem, quod per totam disputationem exempla addidit scriptor.

Sed Ciceronianis detractis supererunt ea quae aliunde sumpta sunt, quae tum melius aestimari poterunt. Ac facillime ei loci absolvuntur, quibus Ciceronis nomen addit Quintilianus:

§ 8 (habet enim, ut Cicero dicit, sedem in deformitate aliqua et turpitudine) spectat ad libri secundi de oratore § 236.

§ 18 (nam et Cicero omne, quod salsum sit, ait esse Atticorum) cogitat de Oratoris loco § 90; ipsa res, quae notissima est, commemoratur etiam de orat. II 217.

§ 23: verba Ciceronis inveniuntur §§ 274, 275, 289[1].

§ 24: Cic. § 289.

§ 42 (in narrando autem Cicero consistere facetias putat, dicacitatem in iaciendo) Quintiliano ante oculos versatur Oratoris § 87; eadem res diversis quodammodo verbis tractatur de orat. 218; cuius loci Quintilianus rationem non habuit.

Exempla deinde nonnulla a Cicerone se mutuare profitetur Quintilianus:

§§ 43/44 id refert, 'quod de L. Crasso contra Brutum Cicero in secundo de oratore libro et aliis quibusdam locis narrat'; quod refertur a Cicerone §§ 223/24 et in oratione pro Cluentio habita §§ 140/41. Quintilianus autem non exscribit Ciceronis verba, sed suis verbis rem narrat totoque loco in brevius contracto explicationem addit.

§ 67: 'an non plurima per hyperbolen[2]) dicuntur? quale refert Cicero de homine praelongo, caput eum ad fornicem Fabium offendisse'. Non dubium, quin spectet Ciceronis § 267: 'etiam illa, quae minuendi aut augendi causa ad incredibilem admirationem ecferuntur: velut tu, Crasse, in contione, ita sibi ipsum magnum videri Memmium, ut in forum descendens caput ad fornicem Fabianum demitteret'. Quid intersit inter exempla allata exponere vix opus est; apparet Quintilianum tam leviter inspexisse Ciceronis librum, ut dicti acumen non uno modo perderet; nam primum pro ambiguo illo Crassi

---

[1]) Nisi plenius locum indico, intellego alterum de oratore librum.

[2]) Sic sensum recte restituit Regius.

'magnus' posuit 'praelongus', deinde eum, qui sibi ita videbatur magnus, ut caput demitteret, re vera caput offendisse fingit.

Etiam magis miror de proximo exemplo; nam Quintilianus sic pergit: 'et quod P. Oppius dixit de genere Lentulorum, cum adsidue minores parentibus liberi essent, nascendo interiturum'; simile exemplum apud Ciceronem sequitur: 'ex quo genere etiam illud est, quod Scipio apud Numantiam, quom stomacharetur cum C. Metello, dixisse dicitur: si quintum pareret mater eius, asinum fuisse parituram'. Quae congruentia — sive mavis dicere differentiam — ita fortasse explicatur, ut dicas Quintilianum utrumque exemplum sumpsisse e libro aliquo, in quo cum Ciceronis exemplo simile alterum coniunctum fuerit, quod auctor illius libri adiecerit; Quintilianum deinde priore omisso alterum exscripsisse. Intercedere igitur videtur aliquis inter Ciceronem et Quintilianum, ac re vera utrumque exemplum affertur in ea parte quam ad Ciceronem non referendam esse diximus.

Illud autem exemplum, quod Quintilianus affert § 84 ('quod refert Cicero: quid huic abest nisi res et virtus?') a Cicerone loco paulo diverso affertur (281); tamen similes res ab utroque illustrantur, et 'discrepantia' Ciceronis subiungi potest 'deceptae opinioni'.

Ad eandem rem illustrandam exemplo Ciceroniano (278) utitur Quintilianus § 88; sed rursus verba non exscripsit.

Ex ipsius Ciceronis orationibus[1]) et epistulis[2]) pauca dicta sibi elegisse, non exiguum vero numerum dictorum collectioni Tironis[3]) vel aliis collectionibus debere videtur; quae omnia afferre non opus est.

Longe autem gravissima ea sunt, quae auctore non allato e Cicerone sumpsit Quintilianus; sed priusquam ad doctrinam ipsam accedo, de exemplis nonnullis agam, quae nomine Ciceronis non allato ex eius libro deprompsit:

Quod de Helvio Mancia refert § 38, narratur a Cicerone § 266, ac Cicero Caesarem ipsum hanc rem narrantem in-

[1]) cf. §§ 25, 39/40, 48, 51, 55, 56.

[2]) cf. § 20 (Bruti dictum).

[3]) cf. §§ 47, 49, 68, 69, 73, 75, 76, 77, 84, 86, 96, 98.

ducit, Quintilianus sic incipit: 'ut fecit C. Iulius', tum paene iisdem verbis rem narrat ita ut Ciceronem inspexisse videatur.

Dictum Neronianum de servo, quod Cicero affert § 248, ut demonstret ex iisdem locis et ridiculas et severas sententias duci posse, apud Quintilianum exemplum amphiboliae vel allegoriae est § 50: ne hoc quidem iisdem verbis redditur.

Etiam § 81 Quintilianus exemplo utitur ad genus ridiculi illustrandum ('non negare quod obicitur'), quo Cicero utitur, ut demonstret ab arte hominem facetum non adiuvari (§ 220): sed idem dictum ab ipso Cicerone iterum commemoratur § 255, ubi similem sententiam invenimus atque apud Quintilianum: de faceta altercatione uterque loquitur.

Eo denique exemplo, quod § 275 Cicero, § 87 Quintilianus affert, uterque simulationem illustrat.

Ex iis quae collegi apparet Quintilianum bene novisse disputationem Ciceronianam ita ut exempla maxime idonea ei ante oculos versarentur, cum ipse de risu ageret; nam uno quoque loco eum inspexisse Ciceronis librum non verisimile est, ac non ita pendet ex Cicerone, ut vel eius verba exscribat vel ordinem sententiarum servet. Idem videbimus tota disputatione pertractata, quae quo modo composita sit nunc exponemus.

Scriptor incipit a difficultate materiae, quam hoc capite tractandam sibi proposuerit, cuius tamen non difficultatem modo, sed etiam vim et pondus explicare studet (§§ 1—16). Hoc argumentum non novum esse docet Cicero, cuius verba statim cum Quintilianeis comparabo: sed exemplo Ciceronis Demosthenisque Quintilianus rem illustrat. Quorum virorum comparationem usitatissimam fuisse neque propriam disputationis de risu institutae notum est[1]). Demosthenem autem minus facetum fuisse saepe dictum est, id quod testatur Cicero in Oratore (§ 90)[2]); at Ciceronem suum, 'qui nimius risus adfectator habitus est', defendit Quintilianus. Argumenta

[1]) cf. *περὶ ὕψους* p. 24. 21 Vahlen, Quintil. X 1. 105 sqq.

[2]) cf. Dion Hal. vol. VI p. 1122, 6 R; etiam Demosthenis patronus exstitit, cf. Hermogenes Sp. II p. 454, 10.

autem, quibus rem difficillimam simulque gravissimam esse demonstrat, fere omnia etiam a Cicerone allata sunt, idemque dixit risum non arte contineri, sed in natura positum esse. Quam facillime autem ad oculos demonstrabo haec originem trahere ex Cicerone, cum utriusque verba afferam:

Cicero de or. II.	**Quintilianus VI 3.**
235: atque illud primum, quid sit ipse risus, quo pacto concitetur, ubi sit, quo modo existat . . . viderit Democritus. neque enim ad hunc sermonem hoc pertinet, et, si pertineret, nescire me tamen id non puderet, quod ne illi quidem scirent qui pollicerentur.	7: neque enim ab ullo satis explicari puto, licet multi temptaverint, unde risus. qui non solum facto aliquo dictove, sed interdum quodam etiam corporis tactu lacessitur.
218: leve nomen habet utraque res! quippe; leve enim est totum hoc risum movere. verum tamen, ut dicis, Antoni, multum in causis persaepe lepore et facetiis profici vidi.	8: cum videatur autem res levis et quae a scurris, mimis, insipientibus denique saepe moveatur, tamen habet vim nescio an imperiosissimam et cui repugnari minime potest.
235: . . . atque ita repente erumpat, ut eum cupientes tenere nequeamus, et quo modo simul latera os venas oculos vultum occupet . . . 236: . . . vel quod frangit adversarium . . . maximeque quod tristitiam ac severitatem mitigat ac relaxat odiosasque res saepe, quas argumentis dilui non facile est, ioco risuque dissolvit.	9: erumpit etiam invitis saepe, nec vultus modo ac vocis exprimit confessionem, sed totum corpus vi sua concutit. rerum autem saepe, ut dixi, maximarum momenta vertit, ut cum odium iramque frequentissime frangat.
216: quae, etiam si alia omnia tradi arte possunt,	11: Verum hoc, quidquid est, ut non ausim dicere carere

naturae sunt propria certe neque ullam artem desiderant (idem § 227). — 217: itaque cum quosdam Graecos inscriptos libros esse vidissem de ridiculis eqs. — 229: ac tamen, inquit Antonius, quom artem esse facetiarum, Iuli, negares, aperuisti quiddam, quod praecipiendum videretur. haberi enim dixisti rationem oportere hominum rei temporis, ne quid iocus de gravitate decerperet; quod quidem in primis a Crasso observari solet.

omnino arte, quia nonnullam observationem habet suntque ad id pertinentia et a Graecis et a Latinis composita praecepta, ita plane adfirmo, praecipue positum esse in natura et in occasione.

230: omnino probabiliora sunt, quae lacessiti dicimus[1]), quam quae priores. nam et ingenii celeritas maior est, quae apparet in respondendo eqs. (cf. 230, 255).

13: sunt enim longe venustiora omnia in respondendo quam in provocando.

222: nam ea dicta appellantur proprio iam nomine.

16: dicta sunt ac vocantur.

Apparet ut mihi videtur, Quintilianum debere haec Ciceroni; tamen non exscribit verba Ciceronis, sed easdem sententias suis verbis reddit. Nihil autem inesse in hac parte contendo, quo alterum quendam a Quintiliano adhiberi fontem efficiatur; nam quamquam nova quaedam insunt, velut § 6 dicit ridiculum dictum plerumque falsum esse (cf. 89), varia esse hominum iudicia in eo, § 7 corporis tactu risum lacessi, etiam iracunde et timide dicta ac facta rideri, velut § 10 iuvenes Tarentinos testes inducit aut § 15 suadet, ut materiae idoneae ad exercitationem componantur. talia nova quidem sed minime inaudita sunt.

Idem dicendum est de proxima parte (17—21), qua de vocabulis, quibus significantur facetiarum genera, agit; quae

[1]) cf. Plut. quaest. conviv. II 1 cap. 13 init.

vocabula (urbanitas, venustum, salsum, facetum, iocus) omnia tam nota atque usitata sunt, ut absconditam quandam doctrinam in his latere non liceat suspicari. Ac iniuria Volkmannus (Rhetorik[2] p. 291) cum his ironiae species Graecas confert; quamquam enim ἀστεῖον 'urbanum' est, 'urbanitas' minime est rhetorum ἀστεισμός; rectius χαριεντισμὸς cum venustate comparatur; cetera omnino non concinunt. Ergo ne haec quidem Quintiliano detrahet quisquam.

Definitionem excipiat oportet divisio (§§ 22—27). In initio autem huius partis Quintilianus monet hanc totam disputationem inscribi a Graecis περὶ γελοίου; quodsi videtur nosse illos libros Graecos de quibus supra egimus, equidem non negaverim eum inspexisse eos; at in componenda hac parte institutionis eum usum esse Graecis libris vix quisquam comprobaverit.

Prima divisio (22) eadem est, quam apud omnes scriptores invenimus, verborum et rerum.

Secuntur tria genera, quae in usu distinguenda esse docet scriptor § 23: 'usus autem maxime triplex: aut enim ex aliis risum petimus aut ex nobis aut ex rebus mediis'. Quae divisio Quintiliani est, qui § 24 profitetur: 'quae neutram personam contingunt ideoque a me media dicuntur': at eadem genera etiam a Cicerone distinguebantur (cf. § 289). Primum genus in complures species dividitur (23): 'aliena aut reprehendimus aut refutamus aut elevamus aut repercutimus aut eludimus; quae partitio eam ob causam hic inducitur, quod infra in digerendis dictis eam adhibiturus est (cf. §§ 71, 72, 75, 78, 79).

Deinde quod pergit 'nostra ridicule indicamus', etiam haec verba e Cicerone mutuatur (289 'ipsorum ridicule indicandis'); praeterea non solum vocabulum 'subabsurda' e Cicerone sumptum est, sed etiam explicatio ei debetur:

C. 275: valde haec ridentur et hercule omnia, quae a prudentibus quasi subabsurde salseque dicuntur.	Q. 23: namque eadem, quae si imprudentibus excidant, stulta sunt, si simulamus, venusta creduntur.

Quae sequitur divisio (25: 'item ridicula aut facimus aut dicimus') parum huic loco convenit; nam divisionem generalem afferri post partitionem specialem non decet: at priores illae partitiones ad dicta tantum spectabant, non ad facta. Ceterum praecipitur facto risum conciliari oportere admixta gravitate, non sine respectu pudoris.

Ne de vultu quidem et gestu Quintilianus novum profert praeceptum: nam eadem fere a Cicerone dicta sunt, ut modum adhibendum esse apud eum saepius legimus, ac dicentis severitatem gratiam adferre exponitur § 289.

Dictorum quattuor genera distinguuntur § 27: lascivum et hilare, contumeliosum, asperum, lene; quae illustrantur exemplo virorum, qui a Quintiliani temporibus non longe absunt.

Quae deinde usque ad § 35 de usu risus praecipiuntur, ita sapiunt Ciceronem, ut multa verba de hac parte facere non opus sit. Sufficit componere utriusque scriptoris verba, ut facile unusquisque perspiciat, quo vinculo cognationis inter se conexi sint:

Cicero.	**Quintilianus.**
221: quod est hominibus facetis et dicacibus difficillumum, habere hominum rationem et temporum et ea quae occurrant, quom salsissime dici possunt, tenere.	28: longeque absit illud propositum: potius amicum quam dictum perdidi . . . . primum itaque considerandum est, et quis et in qua causa et apud quem et in quem et quid dicat.
Orator 89: parcet et amicitiis[1]) et dignitatibus, vitabit insanabilis contumelias, tantummodo adversarios figet nec eos tamen semper nec omnis nec omni modo.	28: nonnunquam et contumeliose et aspere dicere in adversarios permissum est.
239: vitandum est oratori utrumque, ne aut scurrilis iocus sit aut mimicus (cf. 251).	29: oratori minime convenit distortus vultus gestusque, quae in mimis videri solent.

[1]) cf. Aristot. rhet. II 2. p. 1379 b 2 sqq.

— 244: sed ut in illo superiore genere vel narrationis vel imitationis vitanda est et mimorum et ethologorum similitudo[1], sic in hoc scurrilis oratori dicacitas magnopere fugienda est.

dicacitas etiam scurrilis et scaenica huic personae alienissima est: obscenitas vero non a verbis tantum abesse debet, sed etiam a significatione.

252: quartum, obscenitas, non modo non foro digna sed vix convivio liberorum (cf. 242).

244: hoc opinor primum, ne, quotiensquomque potuerit dictum dici, necesse habeamus dicere.

30: quapropter ne dicet quidem salse, quotiens poterit, et dictum potius aliquando perdet quam minuet auctoritatem.

237: nam nec insignis improbitas et scelere iuncta nec rursus miseria insignis agitata ridetur (cf. quae secuntur usque ad finem proximae paragraphi).

31: nec accusatorem autem atroci in causa nec patronum in miserabili iocantem feret quisquam.

245: omnis est risus in iudicem conversus, visum est totum scurrile ridiculum. ergo haec, quae cadere possunt in quos nolis, quamvis sint bella, sunt tamen ipso genere scurrilia.

32: solet interim accidere ut id, quod in adversarium dicimus, aut in iudicem conveniat aut in nostrum quoque litigatorem.

Plura afferre possum e Ciceronis disputatione, quae similiter apud Quintilianum leguntur; sed praefero Oratoris locum adscribere, qui non solum cum ea paragrapho Quintiliani, quam adpono, comparandus est, sed omnia fere continet, quae in libro de oratore dispersa inveniuntur.

[1] cf. 242.

Orator 88: illud admonemus tamen ridiculo sic usurum oratorem, ut nec nimis frequenti, ne scurrile sit, nec subobsceno, ne mimicum, nec petulanti, ne improbum, nec in calamitatem, ne inhumanum, nec in facinus, ne odii locum risus occupet, neque aut sua persona aut iudicum aut tempore alienum. haec enim ad illud indecorum referuntur. vitabit etiam quaesita nec ex tempore ficta, sed domo allata[1]), quae plerumque sunt frigida. parcet et amicitiis et dignitatibus, vitabit eqs.	Q. 33: vitandum etiam, ne petulans, ne superbum, ne loco, ne tempore alienum, ne praeparatum et domo adlatum videatur quod dicimus: nam adversus miseros, sicut supra dixeram, inhumanus est iocus. sed quidam ita sunt receptae auctoritatis ac notae verecundiae, ut nocitura sit in eos dicendi petulantia: nam de amicis iam praeceptum est.

His ne unum quidem verbum addere opus est, cum Ciceronis praecepta retractare Quintilianum appareat.

Ad sedes ridiculi transit Quintilianus § 35, atque in initio de omnibus generibus idem pronuntiat quod Cicero de generibus e re petitis dicit (289): numerum locorum infinitum esse. Comparantur ioci cum figuris sententiarum et verborem, quorum loci non minus numerosi sunt.

In proxima divisione (§ 37: 'risus igitur oriuntur aut ex corpore eius, in quem dicimus, aut ex animo, qui factis ab eo dictisque colligitur, aut ex his, quae sunt extra posita') Kaibelius recognoscere sibi visus est divisionem illam Aristotelis, quam supra attulimus (rhet. II p. 1371 b 35: *ἀνάγκη καὶ τὰ γελοῖα ἡδέα εἶναι, καὶ ἀνθρώπους καὶ λόγους καὶ ἔργα*). Mihi quidem Aristotelis et Quintiliani divisiones diversissimae esse videntur: nam apud illum haec tria distinguuntur: *ἄνθρωποι-λόγοι-ἔργα*, apud hunc: corpus-animus-extra posita. Atque licet obicias mihi *ἄνθρωπον* esse corpus — quod tamen non semper rectum est; immo ad mores hominum Aristoteles spectare videtur —, animum 'colligi factis dictisque', tamen restant

[1]) cf. Plut. quaest. conv. II 1 cap. 13.

extra posita, quae apud Aristotelem non inveniuntur[1]). Ceterum haec partitio non propria est nostrae rei, cum ea tantum contineat, quae ad personam pertinent; cf. Quintil. III 6,25: 'personam, in qua de animo, corpore, extra positis quaeratur'.

Gravior proxima est divisio (37): 'haec aut ostenduntur aut narrantur aut dicto notantur', quae qua ratione e Ciceronis divisione orta sit me quidem iudice facile explicatur. Reminiscaris quaeso a Cicerone distingui festivitatem perpetuam et dicacitatem, duo ergo genera; festivitatem perpetuam in re tantum positam duas habere species, narrationem et imitationem depravatam. Quae duae species coniunguntur a Quintiliano cum altero Ciceronis genere ita ut apud ipsum Quintilianum tria exsistant genera[2]). Cum tam facile explicari possit quo modo Quintiliani genera e Ciceronianis orta sint, equidem mihi non persuadebo Quintilianum ex diverso quodem fonte quem ignoremus haurire.

Quintilianum easdem res significare ac Ciceronem demonstrare non difficile est. Primum est 'ostendere' (38): 'rarum est, ut oculis subicere contingat, ut fecit C. Iulius' eqs.; exemplum quod unum affert petitum est ex Ciceronis § 266. Deinde de narratione agit §§ 39—44; exempla ex oratione a Cicerone pro Cluentio habita et ex M. Caelii oratione quadam sumit, ac tertium addit, quod Ciceroni se debere ipse profitetur. Sub finem autem eius partis subnectit haec verba: 'similis in apologis quoque et quibusdam interim etiam historiis exponendi gratia consequi solet'; quae quin e Cicerone originem trahant non dubium est (§ 264/65): 'et ad hoc genus ascribamus etiam narrationes apologorum; trahitur etiam aliquid ex historia'.

Ad dicacitatem tractandam (i. e. tertium genus § 37:

[1]) Omnino Kaibelius minus recte de tota re iudicat (Die Prolegomena περὶ κωμῳδίας p. 56 adn.); inter Aristotelem et Quintilianum plures scriptores intercedunt, et qui doctrinae Aristolicae vestigia quaerebat, in Cicerone potius quam in Quintiliano quaerere debebat.

[2]) Sed voce 'imitatio depravata' Quintilianus non utitur, qui omnino non Ciceronis §§ 240—43, sed §§ 264—66, ubi narratio repetitur et 'imago' ponitur pro imitatione depravata, respicit

'dicto notare') tum accedit scriptor (45): 'sed acutior est illa atque velocior in urbanitate brevitas'. Iterum duo genera distinguuntur: 'cuius quidem duplex forma est dicendi ac respondendi' eqs.; qua divisione tamen non utitur scriptor; in respondendo autem plus facultatis dari ad facete dicendum etiam Cicero observavit (cf. 230)[1].

Antequam ad ipsam enumerationem locorum se vertat scriptor, non omnia genera ridiculi convenire oratoribus monet (46, cf. 29); idem eadem occasione fusius exponit Cicero (§§ 251 52).

Iam secuntur ipsi loci, atque verborum genera secundum traditum ordinem priore loco tractantur.

Primum genus ut apud Ciceronem non minus quam in Graecis libris est amphibolia; repudiantur autem eae ambiguitates, quae aut nimis obscurae[2]) sunt aut nimis vulgares. Quin etiam Cicero reprehenditur, quod ei ambigua minus apta exciderint; sed Ciceronem ipsum ambigua non magni aestimare vidimus. Uterque porro ambiguum cum alio genere ridiculi coniungendum esse praecipit, ut facile intellegas Quintilianum pendere ex Cicerone (254).

De amphibolia fusius agit Quintilianus VII 9, ubi prima species eius homonymia est, a quo genere catalogus Coislinianus incipit[3]). Praeterea illo capite discernuntur plures et diversi intellectus ut hic (§ 50); Quintilianum igitur addere quaedam videmus ad ambiguitatem pertinentia, quae omittebantur a Cicerone. Eidem generi etiam aenigma (51) et metalepsis (52) adiunguntur, quae vitia Quintiliano potius sunt quam virtutes orationis[4]), at tamen ut frigida illa Aristotelis in ridiculis locum habent.

Proximum genus quomodo appellandum sit non diu

[1]) Idem de urbanitate dixit Marsus. cf. Quintil. § 104: maxime idonea ad resistendum vel lacessendum.

[2]) § 47 'obscura' recte traditur: repudiantur eadem vitia, quae apud Aristotelem saepius castigantur, cf. rhet. III p. 1410 b 21 (de enthymemate); obscuritas praecipue in homonymis est, cf. Quint. VIII 2. 13.

[3]) cf. supra p. 10.

[4]) cf. VIII 6. 14; 37; 52

quaeremus, cum sciamus apud Ciceronem sequi paronomasian. videamus apud Quintilianum idem schema describi: 'nominum fictio adiectis, detractis, mutatis litteris'. Voce ipsa Quintilianus hoc loco uti noluisse videtur, quod ei παρονομασία figura verbi est (cf. IX 3, 66 sqq., ubi etiam iocorum reminiscitur). Minime autem probat hoc genus, in quo ut in prioribus vim rei desiderat, ac Domitii Afri dictum affert, quod urbanum est, 'etiam si nulla subsit alterius verbi similitudo'.

Frigida ei etiam ea videntur esse, quae fiunt 'adiecta et detracta adspiratione et divisis coniunctisve verbis', quae aut paronomasiae aut amphiboliae adnumerari possunt (cf. IX 3, 69, VII 9, 4 sqq.).

Denique etiam nominis interpretationem quam dicit Cicero (257) commemorat (55): 'eademque condicio est in iis, quae a nominibus trahuntur'[1]). Afferuntur nonnulla exempla e Ciceronis Verrinis petita, quae tamen minus probat Quintilianus et eam tantum ob causam tolerabilia esse censet, quod aliis adsignata sint a Cicerone (cf. § 4). Quod iudicium ipsius Ciceronis est, qui se excusat, quod tam frigidos iocos proferat[2]). Aliud autem dictum Ciceronis (56) etiam Quintiliano placet.

Haec de generibus in solis verbis positis disputat Quintilianus; quae si comparantur cum Ciceronis disputatione, illum parum huius vestigia pressisse apparet. Multa enim desunt apud Quintilianum, ut parodia et proverbia, quae tamen alio loco (§§ 96—98) commemorantur; illud deinde genus, quod Cicero tractat §§ 259/60, iam ab illo in alium locum relegatur. Immutationem autem et translationem et inversionem non sine causa alio loco posuit Quintilianus (68/69); verba relata contrarie omittit.

Sed diversae cuiusdam doctrinae vestigia equidem frustra in his paragraphis quaero. Amphiboliae adiunguntur cognata quaedam genera, exempla nonnulla adduntur; praeter haec

[1]) cf. V 10, 31.
[2]) Verr. I 46, 121.

novi nihil inest. Atque dicta pleraque Ciceronis sunt, unum Afri (54), unum praeterea ad Augusti aetatem pertinet (52).

Quae cum ita sint, apertum esse puto Quintilianum longius abesse ab illis Graecis tractatibus, quorum vestigia apud Ciceronem recognoscere nobis visi sumus.

Ad alteram partem § 57 transgreditur scriptor his verbis: 'acriora igitur sunt et elegantiora quae trahuntur ex vi rerum', ac tum primo loco tractari similitudinem non mirum est, quod narrationem plane absolvit §§ 39—44. Quod autem dicit maxime valere similitudinem, si 'ad aliquid inferius leviusque referatur', aperte sequitur Ciceronem (266): 'valde autem ridentur etiam imagines, quae fere in deformitatem aut in aliquod vitium corporis ducuntur cum similitudine turpioris'.

De similitudine plura disserit Quintilianus quam Cicero, velut repetit ea, quae libro V 11, 23, ubi agitur de similitudine in exemplis, dixit: non modo ab hominibus, sed etiam ab animalibus duci similitudines. Quod autem discernit similitudinem palam adhibitam et parabolae insertam (59), rursus sequitur Ciceronem, qui § 265 dicit: 'est etiam ex similitudine, quae aut conlationem habet aut tanquam imaginem'[1].

Multis deinde exemplis haec pars disputationis illustratur, ac minime dubium est, quin ex collectione quadam dictorum sumpta sint. At non sine ordine proferuntur, sed disposita sunt secundum argumentorum locos: quod apparet comparata § 10, 73 libri 5, ubi primus locus est ex similibus, alter ex dissimilibus, tertius ex contrariis, quae hic exhibentur §§ 60 sqq., 63, 64. Fictio, quae commemoratur § 61, in illa de argumentis disputatione tractatur § 95 sqq. A similitudine genere Ciceroniano profectus Quintilianus paene invitus ad argumentorum locos pervenisse videtur, ac non in collectione qua utitur dicta secundum argumenta disposita fuisse, sed scriptorem ipsum ita divisisse persuasum habeo. Quintilianum enim operam dedisse puto, ut demonstraret dicta ridicula, 'si paulum adhibita ratione fingerentur' (§ 16) ad exercitationem idonea

[1]) Parabolen a Cicerone vocari collationem testatur Quintilianus V 10,23.

esse. Quam ob causam non modo omnes illas divisiones eum fecisse, sed etiam dicta 'ratione adhibita' disposuisse conicio.

Nova de ridiculo praecepta etiam in hac parte frustra quaeras. Exemplorum autem tanta multitudo scriptori praesto erat, ut ipse sibi nimis indulsisse videatur in iis afferendis (65): 'onerabo librum exemplis similemque iis, qui risus gratia componuntur, efficiam, si persequi voluero singula veterum.' Itaque ceteros argumentorum locos non omnes exemplis illustrat vel potius ceteros locos in dictis quaerere desinit et affirmare satis habet ex omnibus eandem occasionem esse; quod postquam demonstravit exemplo finitionis (cf. V 10,54) et partitionis (cf. V 10,65), ceteros enumerat (cf. V 10,65).

Duo dicta Augusti afferuntur in hac parte, quae etiam apud Macrobium leguntur, ac cetera Augusti et Gabbae[1] dicta ad eundem fontem redire apertum est; cuius libri indoles etiam ea re finitur, quod nullum Ciceronis dictum affertur. Augusti tempora ille collector maxime respexisse videtur.

Deinde etiam tropos omnes et figuras mentis ridicule adhiberi posse exponit scriptor. E numero troporum commemoratur ironia metaphora[2]) allegoria, quas a Cicerone inter verborum genera afferri vidimus. Adduntur hyperbole, quae more Aristotelico cum similitudine coniungebatur apud Ciceronem, et emphasis. A tropis figurae mentis separari non possunt, cum tropi illi, quos attulit Quintilianus, etiam figurae esse possint. Sed eam ob causam tropos et figuras secrevisse videtur scriptor a ceteris generibus, quod exstabant collectiones dictorum secundum figuras dispositae (§ 70): sane quis hac divisione usus sit nescimus, neque vero Quintiliano talis collectio praesto fuisse videtur, cum nullum exemplum afferat.

[1]) De forma nominis egit Buechelerus, Mus. Rhen. 54, p. 1 2: quod ignotum fuit Curtio Hubert, De Plutarchi Amatorio (diss. Berol. 1903) p. 85

[2]) Egregie coniecit iam Spaldingius 'metaphora quoque Cicero lusit' scribendum esse pro 'm-et-abora' (labora G) eqs. Meisterus, qui hanc coniecturam recipit in indicem ex Halmiano scilicet descriptum, eam ne commemorat quidem in apparatu critico.

Proxima pars (§§ 71—83) secundum eam divisionem disposita est, quae proferebatur § 23: aliena aut repehendimus (71) aut refutamus (72) aut elevamus (75) aut repercutimus (78) aut eludimus (79). Quae genera hoc loco in plures species dividuntur, velut refutatio est in negando (72), redarguendo (73), defendendo (74); similiter elevandi complures species distinguuntur §§ 75 sqq. Etiam repercutiendi multa genera esse dicit, quorum tamen unum tantum affert, atque eludendi compluria genera commemorantur §§ 79/80. Adiunguntur similia quaedam genera: confessionis simulatio et 'non negare quod obicitur' (81).

Haec genera omnia paucis exceptis (stultitiae reprehensio 280, confessionis simulatio 286) apud Ciceronem desunt. Quid igitur? Num ex diverso fonte Quintilianus hanc doctrinam haurit? At omnino ridiculi doctrina non est: nam neque argumentorum loci neque refutationis genera ridiculi genera sunt: quae omnia ideo enumerantur, quod ex iis ridiculi occasio est. Ergo nova de ridiculo doctrina hic omnino non profertur, atque id unum quaeritur, utrum ipse Quintilianus dicta quae collecta reperiebat secundum refutationis genera disposuerit an disposita reppererit, quod mihi quidem non ita verisimile esse videtur; sed certo argumento neutrum comprobari potest. Tamen dicta tali ratione discreta fuisse in collectionibus concludat quispiam ex talibus verbis qualia (76): 'hoc genus dicti consequens vocant quidam': nam idem dictum ab altero scriptore in argumentorum locis positum esse videtur (consequens in argumentis est § 66, cf. V 10,74), ab altero in refutationis generibus; similiter causarum relatio potest esse elevandi genus, potest esse in argumentis. At quamquam non dubium est, quin etiam illis temporibus dictorum genera titulis signaverint[1]), tamen collectiones ita compositas fuisse non comprobatur, ac non difficile est observare idem dictum et huic et illi generi adscribi posse.

Secundum partitionem § 23 nunc agendum est de risu

[1]) Ut apud nos, ubi dicta ridicula proferuntur, cuius generis sint titulo indicare solent, velut: 'Passender Vergleich', 'gut pariert', 'boshaft' alia.

ex nobis petito; quam rem transit scriptor, quia oratoris non sit in se dicere et totidem modis quot in alios id fieri possit. Similiter 'indignum homine liberali id est, quod aut turpiter aut potenter dicitur' (83).

§ 84 ad ipsa ridiculi genera simulque ad Ciceronem redit scriptor: 'superest genus decipiendi opinionem aut dicta aliter intellegendi, quae sunt in omni hac materia vel venustissima'. Hoc genus maximum valebat iam apud Aristotelem, idem neque in excerptis neque apud Demetrium deest. Ciceronis autem cum Quintiliano haec verba conferenda sunt (284): 'sed ex his omnibus nihil magis ridetur quam quod est praeter expectationem'. Repetitur ea partitio, quae § 45 proposita est: 'inopinatum et a lacessente poni solet — et in occurrendo'. Prioris speciei alterum exemplum ex Cicerone (281) petitum est. Cum decepta opinione coniunguntur simulatio et dissimulatio, quae aeque fere differunt ac deceptae opinionis species (85): 'plurimus autem circa simulationem et dissimulationem risus est, quae sunt vicina et prope eadem, sed simulatio est certam opinionem animi sui imitantis, dissimulatio aliena se parum intellegere fingentis'.

Apud Ciceronem hae species non discernuntur, sed unum tantum genus est, quod dissimilatio sive dissimulantia vocatur. Tamen utramque speciem invenias etiam apud illum, priorem § 269: 'urbana etiam dissimulatio est, quom alia dicuntur ac sentias'; cui loco subiungitur illud § 272: 'est huic finitumum dissimulationi, quom honesto verbo vitiosa res appellatur', quod apud Quintilianum affertur § 87: 'sed averti intellectus et aliter solet, cum ab asperioribus ad leniora deflectitur'. Exemplum, quo uterque utitur, a Cicerone paulo inferius, sed tamen in eodem contextu affertur. Alteram Quintiliani speciem, id est eius dissimulationem, apud Ciceronem invenimus § 273: 'acutum etiam illud est, quom ex alterius oratione aliud excipias atque ille volt'; a quo genere vix diversum est, quod § 275 subiungit: 'non videri intellegere quod intellegas'.

Ad simile genus transit Quintilianus § 88: 'ei confine est, quod dicitur per suspicionem'; idem tractatur a Cicerone § 278: 'salsa sunt etiam, quae habent suspicionem ridiculi

absconditam'. Quintilianus Ciceronis locum ante oculos habuisse videtur, ex quo etiam primum exemplum mutuatus est.

Divisionem autem deinde subnectit scriptor, quae apud Ciceronem non invenitur, sed rursus ad collectionem quandam dictorum referenda vel a Quintiliano inventa est (89): 'et hercule omnis salse dicendi ratio in eo est, ut aliter, quam est rectum verumque, dicatur[1]): quod fit totum fingendis aut nostris aut alienis persuasionibus aut dicendo, quod fieri non potest'. Ad similem fontem exempla, quae hic afferuntur §§ 90/91, redeunt atque exempla §§ 59—83, ac non certa quadem ratione disposita fuisse videntur, ut ad diversam rem illustrandam idem dictum Ciceronis affertur § 90, quod § 73 allatum est.

Quod autem adicit Quintilianus (92): 'vel optima est simulatio contra simulantem' nescio an spectet Ciceronis illud § 277: 'est bellum illud quoque, ex quo is, qui dicit, irridetur in eo ipso genere, quo dicit'.

'Superest' iam § 84 scriptor novam partem incohavit; nunc ea genera adiunguntur quae in prioribus omissa sunt, ac primum quidem ioci lenes et 'boni stomachi', in quibus Domitius Afer praeter ceteros excelluit (cf. 27), cuius dicta quaedam afferuntur[2]). 'Stomachosa et quasi submorosa' a Cicerone tractantur § 279, atque his opponuntur lenia: 'huic generi quasi contrarium est ridiculi genus patientis ac lenis'. Ex collectione dictorum Afri etiam proximum genus provenit (94): 'est gratus iocus, qui minus exprobrat quam potest'. Quod deinde pergit: 'interim de se dicere ridiculum est' certum quoddam dictum ante oculos habere videtur; nam totum genus repudiavit § 82; proximum ('et quod in alium si absentem diceretur, urbanum non erat, quoniam ipsi palam exprobratur, movet risum') rursus ad collectionem dictorum Augusti redire videtur.

Omissa erant versus et proverbia a Cicerone contra

---

[1]) cf. § 6 'ridiculum dictum plerumque falsum est'.

[2]) Verba ὑπὸ τὸ ἦθος apud Graecos neque invenio neque satis explicare possum; fortasse adiectivum quoddam in ὑπὸ latet velut ἤπιος.

traditum ordinem [1]) inter verborum genera posita. Quintilianum (96) haec debere Ciceroni apertum est; verba ipsa similia sunt:

C. 257: saepe etiam versus facete interponitur, vel ut est vel paululum immutatus, aut aliqua pars versus.

258: in hoc genus coniciuntur proverbia.

Q. 96: adiuvant urbanitatem et versus commode positi, seu toti ut sunt seu — (97) verbis ex parte mutatis seu ficti notis versibus similes, quae παρῳδία dicitur, et proverbia opportune aptata.

Exempla tamen aliunde petiit Quintilianus. Aliud praeterea genus citandi ut ita dicam adiungit: 'ex historia etiam ducere urbanitatem eruditum est'. Cicero idem commemorat § 265, quem locum supra cum § 44 contuli.

Subnectitur genus (99: 'subabsurda illa constant stulti simulatione, quae, nisi fingantur, stulta sunt'), quod a Cicerone coniungebatur cum dissimulatione; simulationem, si accipimus Spaldingii emendationem, etiam Quintilianus in hoc genere esse dicit, et fingi talia debere etiam Cicero dixit (274): 'habet non nunquam aliquid etiam apud nos loci, ut vel non stultus quasi stulte cum sale dicat aliquid'. His similia sunt, 'quae tamquam sine ratione dicta feruntur'.

Levia quaedam genera, quae ad explicanda dicta inventa sunt, adduntur § 100: 'deprehensi interim pudorem suum ridiculo aliquo explicant' alterum est; alterum restituere, cum textus corruptus sit, frustra laboravi.

Iam vero quod sic claudit enumerationem generum (101): 'has aut accepi species aut inveni frequentissimas', ipse id testatur, quod per totam disputationem observavimus: eum genera haec mutuari ex Cicerone vel ex dictorum collectionibus, illa addere ad explicanda dicta. Sed 'infinitas esse tam salse dicendi quam severe' [2]) species dicit, quas 'praestet persona locus tempus casus'. Haec igitur se non pertractasse, sed attigisse, 'illa autem, quae de usu ipso et modo iocandi

[1]) cf. supra p. 33.
[2]) cf. Cicero § 248.

complexus sit, plane esse necessaria'. Satis apertum esse puto, quibus ex fontibus hauserit Quintilianus: Ea quae 'de usu et modo iocandi' praecipit, omnia Ciceronis sunt, ipsa ridiculi genera similiter ex Cicerone petita. Quae praeterea proferuntur, ad dictorum collectiones redeunt. Non facile autem est diiudicare, quo modo scriptor his collectionibus usus sit, quae in iis invenerit quae ipse addiderit. Si dispositae erant secundum argumentorum locos vel refutationis genera, facili opera exempla quaedam eligi poterant; si autem secundum singulos homines dispositae erant, id quod verisimilius est, maiorem operam praestitit scriptor. Diversae autem de ridiculo doctrinae vestigia nusquam reperire potui, ac Graecum quendam fontem detegere frustra laboravi. Quodsi re vera Quintilianum in hoc capite Graecis libris usum esse contenderit quis, argumenta proferre eius erit.

Vita Joannis Ernesti Mauriti Arndt

Natus sum Duisburgi mensis Marti anni MDCCCLXXXI die altero patre Ferdinando Arndt, quem morte praematura ante hos tres annos suis ereptum esse doleo, matre Agnes e gente Brade. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum elementis imbutus in schola quam pater moderabatur per novem annos gymnasii regii Duisburgensis discipulus fui.

Vere anni XCIX Bonnam me contuli, ut studiis philologicis me darem. Proximi anni aetatem Monachi, hiemem annorum MCMI/II Berolini versatus iterum atque tertium Bonnam migravi, ubi usque ad mensem Augustum anni MCMIII philologiae operam navavi. Exercitationibus grammaticis archaeologicis philosophicis historicis quantum tempus viresque permittebant interfui. Berolini proseminarii, Bonnae per tria semestria seminarii philologici, per idem tempus philosophici fui sodalis.

Docuerunt me hi viri doctissimi:

Bender †, Brentano, Brinkmann, Buecheler, Clemen, Christ, Diels, Drescher, Elter, Erdmann, Franck, Furtwaengler, Gaufinez, Hampe, Harnack, Heffter, Heigel, Heinze, Helm, Jaeger, Klebs, Kuentzel, Lasson, v. d. Leyen, Lipps, Litzmann, Loeschcke, Menzer, J. Mueller, R. M. Meyer, v. d. Pfordten, Radermacher, Roloff, Solmsen, Strack, Sudhaus, G Thiele, Thomas, Usener, Vahlen, Vollmer, Wiedemann, v. Wilamowitz-Moellendorf, Wilmanns, E. Woelfflin. Quorum omnium semper grato animo meminero; plurimam vero gratiam debeo Brinkmanno Buechelero Eltero Erdmanno Loeschckio Radermachero Solmsenio Usenero Bonnensibus, Vahlenio Wilamowitzio Berolinensibus, Vollmero Monacensi, qui omnes de studiis meis egregie meriti sunt. In hac autem dissertatione perficienda ut Radermacheri ita Brinkmanni et Elteri consilio uti licebat.

Philologorum societatum Bonnensis Monacensis Berolinensis amicitiae vinculo inter se coniunctarum sodalis fui per quinque annos, atque plus debeo amicis Bonnensibus quam dici potest.

Sententiae controversae.

I. Plat. Cratyl. p. 392 E iniuria verba τί δή ποτε — οὐκ ἔγωγε alio loco transposuit Hermannus, quem secutus est Schanzius.

II. Ibid. p. 384 A Schanzius non recte pro ὀρθότητος scripsit ὀρθότης (p. 2,8 Sch.).

III. Alienum est a rhetoribus antiquis incisum membrum periodum certo numero syllabarum finire.

IV. Demetr. de eloc. § 125 recte emendatum esse a Radermachero ἡ τρίτη ὑπερβολὴ εἰρημένη nego; nihil mutandum est nisi ἤτοι eiciendum.

V. Ciris versu 453 'verbere', quod probant editores, coniectura ortum est in codice Vaticano Laeti (L); rectum praebent ceteri AHR:

Undique conveniunt et glauco in gurgite circum
Verbera caudarum atque oris minitantur hiatu.

VI. Apulei metamorphoseon libros multis locis nulla necessitate coactus interpolavit editor van der Vliet, ut X 25 inepte inseruit 'multisque' (p. 242,26) neque rectius 'infesta' (p. 243,4).

Printed in Germany